…IONALE VITT. EMANUELE
12
K
6 M

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google




Digitized by Google

# JOH. JOACHIMI
# BECHERI,
## SPIRENSIS MEDICINÆ DOCTORIS,
# TRIPUS HERMETICUS FATIDICUS,
## PANDENS ORACULA CHYMICA,

Seu

## I. LABORATORIUM PORTATILE
cum Methodo verè ſpagyricè, ſc. juxta exigentiam Naturæ, laborandi.

*Acceſſit pro Praxi & Exemplo*

## II. MAGNORUM DUORUM PRODUCTORUM
Nitri & Salis Textura & Anatomia, atque in omnium præcedentium confirmationem adjunctum eſt

## III. ALPHABETUM MINERALE,
ſeu viginti quatuor Theſes de ſubterraneorum & mineralium geneſi, Textura & Analyſi.

His acceſſit

## *CONCORDANTIA MERCURII LUNÆ.*
Omnia juxta Authoris Doctrinam & Principia in Phyſica ſua ſubterranea ejusque ſupplementis conſcripta, adeò ut hic Tripus Hermeticus Commentarius Practicus ſuper præfatam Phyſicam ſubterraneam verè dici queat, utpote ſcriptum raris Experimentis, multis Figuris & profundis Speculationibus innixum, ut Lectori per ſe patebit.

*Excogitatum in Cornubia ad extrema Angliæ ora inter ipſa mineralia experimenta & autopſiam.*

*FRANCOFURTI AD MOENUM,*
Sumptibus JOHANNIS GEORGII SCHIELE.
M DC LXXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

*Nobiliſſimo, Excellentiſſimo, Expertiſſimo,*
*Doctiſſimo Viro,*

DOMINO
# EDM. DICKINSONO,
M. D.

SACRÆ REGIÆ MAJEST. MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ ET HIBERNIÆ
## CAROLI II.
ARCHIATRO

*Domino Patrono & Amico ſuo obſervandiſſimo*
JOH. JOACHIM. BECHER, M. D.

Εὐπράττειν.

C*Um iniqua nuperi dejecti Cameræ Cæſareæ Præſidis Comitis Ludovici de Sintzendorff ira & perſecutio contra omne jus fasque non modò aulâ Cæſareâ me exulare, Romano ex Imperio ſecedere, ex Hollandia in Angliam confugere cogeret, imò ne ibi quidem tutum relinqueret, quin non per Secretarium Cæſareum Nabitz apud aulam Anglicanam perſecutione proſequeretur, ut non ſatis ipſi fuerit, omnes*

*meas opes, familiam, liberos, famam perdidiſſe, verùm etiam adhuc vitæ & libertati inſidiari. In his ergo calamitatibus expertus ſum illius dicti Ciceroniani: "Studia adoleſcentiam alunt, ſenectutem „oblectant, ſecundas res ornant, in adverſis ſola- „tium & auxilium præbent."*

*Scripſeram ante decennium Phyſicam meam ſubterraneam, quod ſcriptum prout nonnihil mihi laudis in orbe peperit, ita multorum doctorum virorum notitiam & amicitiam mihi contraxit; Eſt enim, ut Seneca ait: Inter bonos viros concatenata per univerſum orbem amicitia, cum veritas ſit Catholica. Cum itaque, ut dixi, Præſes me in Angliam protrudiſſet, interim juſto Dei judicio ipſe in iram Cæſaris incidiſſet omnibus dignitatibus, officiis privatus, aulâ Cæſareâ exulare cogeretur, inſuper ingenti pecuniæ ſumma plecteretur, ut mihi jam non amplius obeſſe poſſit. Videns itaque, quod cum aliis Germanis Patriotis nihil amplius neque in aula Cæſarea, neque in Romano Imperio in optima cauſa proficerem, ſtatui lubentiùs cum Hyppolito à Lapide in exilio legere Ciceronem, Senecam, Varronem, quàm in propria natione videre & audire Catilinas, Syllas, Iugurthas & Patriæ hoſtes.*

*Hoc dum intendo deſtitutus omnibus vivendi mediis & ſumptibus, inſuper undiquaque perſecutus, dum in peregrino & exotico regno conſtitutus, incognitus & exul, deſertus & derelictus ab omnibus;*

*bus; Tu Vir Nobiliſſime audiens de adventu, perſona & conditione mea, ultro incognitus me convenis, Phyſicæ meæ ſubterraneæ ſtudioſiſſimus, æſtimatorq; maximus conſolaris me, adjuvas me, non commendatione modò apud aulam, Regem & Celſiſſimum Principem Rupertum, verùm etiam actualiter nummis mihi aſſiſtis debitisque ſublevas. Ecce ergo juſtam Dedicationis cauſam, ſi quæ ex Gratitudine juſta proſilire poſſit. Poſtmodum planè alia affinior ratio eſt, hoc meum Laboratorium Portatile Tibi dedicandi. Primus enim fuiſti, qui Londini ſumptus ſuppeditaſti, ut id practicè perficeretur, Tibique ipſi, puto quatuor ejusmodi Laboratoriola conficere curaſti, utpote valde convenientia, qui cum Regem ſequi debes in itinere & tamen non deſiſtere vis ab opere, uſum & commoditatem mei Laboratorii Portatilis ſatis ſuperque exploratum habebis, & quæ in illo experimenta feceris, Tibi & mihi in aurem ſufficiant. Cæterùm Doctrinam Tuam profundam fatebuntur Tui Delphi Phœnicizantes, praxin Medicam feliciſſimam atteſtabitur confluxus hominum ad ædes Doctoris VVilliſi, cujus reverà & doctrinâ & habitatione domûs ſucceſſor es, auctoritatem Tuam commendat gratia Regis, ita ut ego nihil addere poſſim Tuæ laudi, niſi admirando Tuam ſummam & accuratam diligentiam in Laboratorio Regio circa operationes Chymicas, quas omnes propria manu conficis, & commendando inuſitatam humanitatem, fa-*

*miliaritatem & benevolentiam, qua me excipis & colis, Deus det, ut ſcopum noſtrum attingamus intenti noſtri; Nunc expoſitâ causâ Dedicationis meæ, nihil reſtat, niſi ut cordicitùs precer, ut Deus Te conſervet ſalvum & incolumem multos annos, Rex in ſua gratia & Tu me in Tua,*

*Vale Amicorum Chariſſime.*

Scribebam Truro in Cornubia penes
Portum Falmouth ad extrema
Angliæ ora vulgò Landes Ende.

PRÆ-

Digitized by Google

# PRÆFATIO.

## *LECTORI PHILOCHYMICO S.*

Præcipuam Philoſophiæ partem, Phyſicam conſtituere, quæ inter alia Metallurgiam, Pharmaceuticen & Medicinam quoque ſub ſe comprehendit, nemo ignorat, & ſicut Phyſica nonnulla ratione naturali eruit, diſtinguit & definit, ita mechanicis quoque & inſtrumentalibus operationibus quàm plurimùm utitur; tum ferè nempe, quando ex praxi ſolida fundamenta & axiomata definire vult. Hinc quaſi duplicem manum exhibet, Anatomiam nempè & Spagyricam, illa cultro ſecat & diſcernit membra, hæc verò igne excutit & luci exponit intimas rerum earumque eſſentiarum ſcintillas & radios. Sicut verò Anatomia ſine inſtrumentis nihil valet vel efficere poteſt, ita certè Spagyrica, ſive ſic dicta Philoſophia Hermetica ſine requiſitis debitis, nihil rectè operari poteſt, & licèt horum quamplurima ſint, plus cognitione & comparatione difficilia, quàm pretio cara, ingens tamen varietas & multitudo operantium & inſtrumentorum (qua hoc tempore Chymia æquè ſi non plus cum Pharmaceutica praxi laborat) non moleſta modò, verùm etiam ſumtuoſa

 eſt,

eſt, ut divites potius mercatores, quàm pauperes Philoſophos & naturæ perſcrutatores requirere videatur. Huic malo itaque, cum alii remedia ponere deberent & in compendium redigere, non furnos modò, verùm etiam operationes & proceſſus in infinitum quaſi produxêre, idque adhuc ſub Charitatis tirocinii in artisformam redactione, ut in Libavio, Beguino, Fabro, le Febure, Rolfinckio, Glaubero, Hartmanno, Schrôdero aliisque quamplurimis videmus & obſervamus. Ego proindè, cum jam ferè per triginta annos, quos in Chymia inſumo, ſatis ſuperque meo damno expertus fuerim, quantum ſumtuum, faſtidiorum & laborum, imò periculorum atque incommodorum praxis Chymica hactenus uſitata requirat, in compendium illam redegi inveniendo & practicando hoc Laboratorium Portatile, quod non quidem gratis, ſed multo labore & ſumtu inventum & excultum, in eum tamen finem mihi à Deo conceſſum eſſe ſcio, ut natura eò faciliùs inveſtigetur, veritas ſolidiùs eruatur, & proximo magis inſerviatur. Præſentis ſanè ego vitæ pertæſus, præſertim cum conditio & occaſio mea non ferat multum amplius in hoc genere vitæ verſari, conſultum duxi publici juris facere, ut ad Philochymicos devolveretur laborioſos adhuc, utpote juvenes. Quanquam

&

Digitized by Google

& ſenibus adhuc hoc ſtudio delectantibus & compendio ſtudentibus, præſertim tempori & ſumtibus, non minus utilitatis afferet, quàm ſatisfactionis & jucunditatis. Multa enim ſanè jam experimenta intentata jacent, quòd praxi difficilia ſint, novos furnos novasque enchiriſes requirant. Quibus omnibus difficultatibus, cum noſtro Laboratorio Portatili optimè ſatisfaciam, ſpero Lectorem Philochymicum id grato & æquo animo accepturum, præſertim, quòd etiam ſecretò & occultò in quocunque ferè cubiculo adornari queat; cumque etiam adeò valde neceſſarium ſit, præſertim ad praxin illorum experimentorum inſtituendam, quæ in Supplementis meis in Phyſicam Subterraneam meam propoſui. Sine hoc enim meo furnulo, nequis ea aggredi præſumat, cùm certus ſim, illum cum damno laboraturum, vanamque paleam trituraturum. Cum itaque in prædictis Supplementis meis animoſum ſané & generoſum equum Lectori donaverim, incongruenter agerem, ſi fræno illum deſtituerem, quo equum regere poſſet, quod ut hactenus à quamplurimis deſiderabatur, ita ſpero me publicatione hujus Commentarii in Supplementa mea Lectori Philochymico ſatisfacturum, ejusque gratiam & protectionem contra ignorantes malevolos & maleloquos, Artis

 nempe

Digitized by

nempe oſores protectionem demeriturum eſſe.

Cœterùm quod methodum hujus opuſculi concernit illa ſimpliciſſima eſt, conſiſtens tantùm in tribus ſectionibus, utpote requiſitis ad omne Laboratorium neceſſariis, ſcilicet 1. Furno ejusque ſtructurâ. 2. Subjectis & Inſtrumentis. 3. Operationibus & Effectibus.

Habes hiſce publicationis ſcriptique methodicæ diviſionis rationem, qua feliciter utere & benevolè Vale.

---

## *PROLEGOMENA NONNULLA*

Ex Nobiliſſimi & Excellentiſſimi Domini *Edmundi Dickinſoni* doctiſſimo Tractatu, cui Titulus *Delphi Phœnicizantes* de *Tripode Apollineo*, excerpta, Lectori non ingrata futura, utpote lectu jucunda & ad rem ac præſentem materiam facientia, annexui ſub finem applicationem oraculi hujus Tripodis ad *res Phyſicas* præſertim minerales.

### DELPHI SCHILUNTIS SIMIÆ.

*IGnis inextinctus* Delphis, unde: Ἑστία quaſi אש יה Eſch-ia vel Es-ia i. e. Ignis Jehovæ. Ἑστία & *Veſta* eadem. Græci olim nominibus à vocali incipientibus diligamma præpoſuerunt. Iisdem Latini V conſonantem præfixerunt. V & F ejusdem ſoni. Ἑστία Dea fingitur, undè? De *Tripode* variæ ſententiæ. *Cortina* ad Tabernaculum accommodata. *Tripus*

*pus* ad Arcæ exemplum factus. *Holmus* ad ſimilitudinem Propitiatorii Epithematis. *Tripodis* myſteria. An eo ſacram *Triada* notaverint Antiqui. Cur *Baccho* ſacer. *Ternarius* numerus Deo gratiſſimus ſemper habitus. *Tripus* cur Apollini ſacer. *Tripos* ſyllogiſmus: *Menſa Delphica* ad exemplum Menſæ Tabernaculi facta.

Lecto jam expoſitoque programmate, ipſum prorſus ingrediamur *Templum*; & ea, quæ vulgi oculos paſcunt, negligentes, ejus *arcana* duntaxat (ut curioſi ſolent) penitùs inſpiciamus. Prius attamen (ne non à lare quod ajunt inciperetur) aliquantillum moremur apud jugem ac perennem *ignem*, qui in veſtibulo cuſtoditur: quem dum contemplor, hæreo, annon Græcos in hoc quoque Hebraizantes offendam. Nam conſtat Hebræos Sacerdotes ignem in altari quodam jugiter aluiſſe & ſanctè curaſſe, ne unquam extingueretur. Quod & in Silo (quamdiu Arca & Tabernaculum ibidem conſtiterint) factum, non eſt ut dubitemus.

Hoc igitur Græci cum advertiſſent, lege ſanxerunt, ut Delphis etiam πῦρ ἄσβεϛον, i. e. *ignis inextinctus* foveretur. Qui ignis, ut liquidò ſciatis, unde eum Græci delatum habeant, ἑϛία dicitur, non aliud verò ἑϛία, quàm אש יה Eſch-ia vel Eſ-ia Græcè ἑϛία i. e, *ignis Jehova*. Quem Jehova ſcilicet Aaroni & filiis ſuis indies alendum præceperat. Hæc in tranſitu *Veſta* litavimus; ad πολυθρύλλητον illum *Tripodem*, qui intus erat, contemplandū lætè ac avidè feſtinantes. De quo quid ſentiam (omnia enim ſummâ quâ potui, diligentiâ perluſtravi) clarè & ſtrictim narrabo. Sed abſurdus eſt (inquit Ephorus apud Plutarchum) qui de oraculo omnium veraciſſimo verba faciens,

ciens, à veritate aliena, fideque indigna profert. *Ille igitur forſan inepte audiet, qui de Tripode loquetur ea, quæ certa atque explorata non ſunt.* Si quid tamen hac in re peccavero, penes rei difficultatem ſit culpa. Tantâ enim caligine circum quaq; tegitur, ut quamvis te in omnem partem transferas, omnia rimeris, omnia colligas, quæ de illo hactenus à quopiam dicta ſunt, nihil attamen invenias, quod non in diſceptationem cadat: Tàm malè inter eruditos huc uſque conſtitit, quid *Tripodis nomine* intelligendum ſit. Sunt, qui Tripodem ſentiunt eſſe vas quoddam *pulvere* plenum, ex quo ſpiritus quidam, *enthuſiaſticâ vi* pollens, Pythiam afflabat. Sic tradit Hellanicus, quem citat Nat. Comes in Mythol. Alii magnum quendam craterem fuiſſe judicant, in quem ſeſe velut immergere ſolebat *Pythia.* Alii cellam tribus pedibus ſuffultam, cui Phœbus inſiſtens *è ſubjecto antro ſpiritum ducebat & bacchabatur.* Alii menſam corio Pythonis tectam. Vide Nat. Comitem Mythol. lib. 4. c. 4. Alii demùm Tripodem, ſpeciem quandam *lauri tribus radicibus* Apollini conſecratam ſtatũunt: teſte Lactantio Grammatico ad hæc verba Papinii Statii Theb. 1. *Salve priſca fides tripodum.*

*Tripodi* verò qualiscunque fuerit, grande aliquod myſterium ſubeſſe crediderunt multi, iiq; cumprimis docti: inter quos meritiſſimè cenſendus eſt ille doctorum ac curioſorum virorum Mecænas *Fabritius Peireskius*: Qui doctos undique provocavit ad diſſerendum *de incompertis quibusdam tripodum myſteriis.* Huic autem rei quas faces alluxerunt eruditorum reſponſa, prorſus ignoro: ego verò ſi mihi quod in mentem venit, palàm facere & inter olores ſtrepere liceat; non modo Tripodis, ſed & *cortinæ*

(quam

Digitized by Google

( quam à Tripode diſtinguendam cenſeo) *Holmique* myſteria ac ortus, haud alio ex fonte, quàm quo ipſum *Apollinem* conquiſivi ( Joſuæ ſcilicet Hiſtoriâ ſcriptisque ſacris) petendos arbitror. Joſua enim (prout literis mandatum eſt) poſteaquam deviciſſet hoſtes & in ditionem ſuam redegiſſet univerſam ferè terram Canaan, Tabernaculum unà cum arca ad *Schiluntem* transtulit. Hic ergò, quamdiu tabernaculum & arca ibidem conſtiterint, Dei oracula clarè reddi, ſacrificia ritè peragi, feſta & ſolennitates piè celebrari ſolebant. Adeò ut Hebræi omnes (eo ipſo tempore, quo *Cadmus* in Græciam venit, ut & multò poſt) *Schiluntem*, tanquam civitatem ſacram & Deo dilectam maximo honore, cultu ac veneratione proſecuti fuerint. Quocirca *Delphici*, ut ad Hebraicam planè normam ſe componerent; & Delphos alteram quaſi Silo præſtarent, ſimiles quasdam *machinas* efficiebant. Nempe ad ſimilitudinem Tabernaculi *Cortinam*, ad Arcæ fœderis exemplum *Tripodem*, ad umbram propitiatorii Epithematis *Holmum*, ad menſæ propitiatoriæ ſpeciem menſam ſimiliter inſtituebant.

Et primò ſane *Cortinam* (contra quàm plerique ſentiunt) à Tripode diſtinctam fuiſſe eò confidentiùs aſtruam, propterea quòd doctiſſimum virum & rei antiquariæ peritiſſimum *Claudium Fabritium de Peireske* adſtipulantem habeo. At, quod ad Tabernaculi formam conſtituta fuerit, res ipſa ſuadet: Quippe quia nil aliud erat Tabernaculum, quàm una, ex decem cortinis ſimul junctis confecta, *Cortina*.

Præterea ut olim tabernaculum fuit Hebræorum Templum ſive Sanctuarium, ita antiquius illud Delphorum Templum fuit Tabernaculum, humilius certè

certè ædificium tentorio ſimile & Cortina dictum. Intelligo tamen non illud templum, quod à Javanis filiis, ut conjicitur, extructum fuit: ſed quod Græci poſt *Cadmi* adventum, *Joſuaque* vel (ut eorum utar idiomate) παιᾶν@ celebrationem atque ἀποθέωσιν inſtaurabant. Quænam verò fuerit Templi *materia*, qualisve *forma*, Græci profectò (ſive id Templo ſæpius obruto, ſive ſeculo mythico, ſeu potius utrique tribuendum) planè ignorare videntur. Unde ad fabulas pro more ſuo confugiunt, & illud modò ex *lauru* conſtructum; modò ex *ære* conflatum; mox ab *apibus* pinnis & *cera* confectum atque concinnatum tradunt.

Mihi igitur vetus illud *Templum* quale fuerit, cogitanti ſuggeſſit Varro, qui (in lib. 6. de lingua Latina) ſtatuit, quodcunque eſt inter cœlum & terram (ſive Hemiſphærium) *Cortinam* dici ad ſimilitudinem Cortinæ Apollinis, *Eò quòd uti nos hemisphærium ſic Tripodem Cortina tentorii adinſtar involvebat.* Ideoque Cortinam Apollinis non Tripodem aut lebetem fuiſſe, (quod multi volunt) ſed ædem potiùs tentorio & tabernaculo ſimilem facile credas. Quam quidem præterea, non ſecus ac Hebræorum Tabernaculum coriis olim circumtectam fuiſſe veriſimile eſt. Hoc ipſum ſanè paulò obſcuriùs oſtendit ea fabula, quæ Cortinam *corio Pythonis* obtectam refert.

Græci enim, cùm audiviſſent ædem Delphico Apollini ſacram pellibus olim coopertam fuiſſe; & populo placere, quas de Pythone feciſſent, fabulas, intellexiſſent; has illicò pelles corium Pythonis extitiſſe (prout ipſi judicabant) haud ineptè finxerunt. De *Cortina*, ni fallor, ita ſe res habuit. Porrò autem ſicut in Tabernaculo arca; ſic in Cortina Tripus

ſtetit;

ſtetit: illa vero Deo, hic ficto ſacer. *Tripodem* voco, non quaſi vas illud in initio triquetrum, pedibusque tribus ſuffultum crederem, ſed quia vulgare nomen eſt; & jam nunc à multis retrò ſeculis uſitatum. Tetragonum ſit oportet, quod Arcam ſimulat: talis autem figuræ machinam quatuor pedum fuiſſe magis decuit. Quin & vas illud, quod Pythia conſcendebat, *quatuor* aliquando pedes habuiſſe teſtatur Jamblichus in lib. de myſteriis. Ut nihil obſtet, quò minùs in figura convenire dicerentur.

Adhæc ut arca, ſic etiam Tripos *auro* obducebatur. Unde Apollo fertur *θεσπιῳδεῖν τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου*, i.e. *ambigua reſponſa dare ex tripode ſuo aureo*: Accedit, quòd Tripos utique, non ſecus ac Arca limbo ſeu coronâ aureâ cingebatur. Ideoque Apollo dicitur *λαλεῖν ἐκ τῶν στεμμάτων*, i. e. *ex coronis loqui*, ubi ſcholiaſtes; *στεφάνην ἔστεπτο ὁ τρίπους ἐφ' οὗ καθῆστο ἡ πυθία*, i. e. *corona cingebatur tripos, cui inſedit Pythias.*

Arcæ prorſus *ἱλαστήριον ἐπίθεμα, propitiatorium ſedile*, imponebatur: è cujus ſuperiori parte cum Propheta convenit & locutus eſt Deus; atque ea, quæ populo erant facienda, præcepit. Ex quo *Arcam Dei ſcabellum* dictam legimus 1. Chronic. cap. 28. comm. 2.

Hinc igitur Græci, ut *ſimias* accuratè agerent, ſedile quoddam, poſteris *ὅλμον* dictum, Tripodi ſuperimponebant; cui *Pythia* Phœbi *πρόμαντις* inſideret & habito quaſi divino colloquio, ſciſcitanti reſponſa daret. Sed ne res eaſdem (nam omnes, quod ſciam, Tripodem & Holmum putant eoſdem) ſine omni ratione diſtinxiſſe videar; advertas quæſo tripodi magnum quendam *hiatum* ineſſe, ex quo *ſpi-*

*ritum velut ex inferis aſcendentem Pythi apudendis ſuis ſedens excipiebat:* quod tamen à Pythia, niſi cuidam epithemati inſediſſet, commodè fieri non potuit.

Quocirca meâ quidem ſententiâ, Tripus ſive inferior iſta machina, Pythiæ ſcabellum fuit; & Holmus, ſedile. Forſan attamen non vas illud majus & inferius (quod ad Arcæ ſimilitudinem factum duxi) ſed & ὅλμος ei impoſitus, revera tripos fuit: atque eo nomine potius inſigniri debuit. Nunquid autem *myſterii ſub tripode* latuerit? ecquid religionis inſit in eo pedum numero? alii ſanè commentantur alia. Nec deſint fortè qui ipſam S. S. Triada ſub eo intelligi ſomnient. Ethnicis certè antiquiſſimis haud ignotum fuiſſe Trinitatis myſterium pluribus argumentis ex *Hermete Triſmegiſto, Orpheo, Hydaspe, Pythagora, Platone & Platonicis, Sybillinis verſibus, atque Apollinis Oraculo* ſumptis, elucidare conatus eſt doctiſſimus *Steuchus Eugubinus*: ad quem refero lectorem. *Suidas* autem Triſmegiſtum ſic appellatum tradit, quia de Trinitate, quodam Divini Spiritus inſtinctu, locutus ſit. *Mercurius* ter-maximus (inquit) erat ſapiens Ægyptius. Floruit autem ante Pharaonem. Vocatus autem fuit *ter maximus*, quod de Trinitate locutus fuit; dicens, in Trinitate unam eſſe Deitatem. Sic fuit lumen intelligens ante lumen intelligens, & fuit ſemper mens mentis lucida; & nihil aliud fuit hujus unitas. Et ſpiritus omnia continens, extra hunc non Deus, non Angelus, non ulla alia eſſentia eſt. Omnium enim eſt Dominus, & Pater & Deus & omnia ſub ipſo & in ipſo ſunt. Nam ipſius ſermo, qui eſt undique perfectus & fœcundus & opifex, in fœcunda aqua puer exiſtens & fœcundâ aquâ aquam fœcundam fecit. His autem

dictis

dictis, hæc precatus eſt: Obteſtor te cœlum magni Dei ſapiens opus. Obteſtor te vocem Patris, quam locutus eſt primam, quum omnem mundum firmavit. Obteſtor te per unigenitum ſermonem, & Patrem omnia continentem, propitius propitius eſto mihi. Hæc *Suidas*: an autem genuina ſint exſcripta, quæ Triſmegiſto paſſim tribui ſolent; aut teſtimonia, quæ de Triade ex antiquis afferuntur, ad ipſam quadrent, penes eruditos, illoque argumento præſertim bene verſatos, eſto judicium. Quid ſi tres iſtæ literæ ש quæ pedes, idque multò magis, quàm manus, referunt, & apud Aſſyrios aliquando *Elohim* ſignificant, tribus iſtis pedibus, quibus ſacra ac vaticinatrix iſta *Sella* innitebatur, occaſionem dederint? Vel fortè nihil aliud eo pedum numero prorſus intelligendum ſit, quàm ſuperſtitioſa quædam gentium opinio, quæ *ternarium* numerum, prout omnium perfectiſſimum, ita Deo gratiſſimum ſemper exiſtimabant, eumque idcircò *πρὸς τὰς ἁγιστείας τῶν θεῶν*, ad Deorum ſacrificia celebranda adhibuerunt, teſte Ariſtot. de cœlo lib. 1. cap. 1. Unde Chaldæi atque Æthiopes *thure, auro, myrrha*; Græci *igne, hoſtia, ara*; Alii *thure*, igne & precatione Deum venerati ſunt. Quò ſpectat illud in Theocriſi *Pharmaceutria*:

Ἐς τρὶς ἀποσπένδω, καὶ τρὶς τάδε πότνια φωνῶ

*Ter libo, terque hac pronuncio myſtica verba*

& illud:

*Numero DEVS impare gaudet.*

*Græci* inquam, illa opinione ducti, machinam iſtam ſive *ſellam* Deo dicatam, *tribus hiſce pedibus* ſacratiorem reddere ſtuduerunt. Niſi forſan Apollini tripodem propterea conſecraverint, ut myſtico quodam modo notarent *tria iſta tempora*, de quibus

 ora-

oracula peti ſolerent. Quippe penes notitiam Vatis ſunt τάτε ὄντα, τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα. *Quæ ſunt, quæ venient poſthac, quæ præterierunt.*

Quin & divinatio ipſa, Græcorum ſententiis, eſt τέχνη περὶ τὸ μέλλον ἐκ τῶν παρόντων, ἢ παρῳχημένων, i.e. *Ars circa futura ex præſentibus vel præteritis.* Nullius enim rei ortum putabant ſine cauſa; vel ſine ratione prænotionem: Sed cum præſentia præteritis, omnia futura præſentibus annexa ſint, & alterum ex altero, progreſſu ab initio ad finem pertendente, conſequatur; is qui naturali ratione cauſas intuetur atq; inter ſe contexit, prædicere valeat. Nam è connexi natura ducitur ratiocinatio. Si hoc eſt, illud præceſſit: Et ſi hoc eſt, iſtud fiet. Artificioſa etenim res eſt, & ab humana proficiſcitur ratione *cognitio conſequentiæ.* Unde Theo apud Plutarchum non veritus eſt aſſerere Tripodem nihil aliud eſſe, quàm *Syllogiſmum,* quo Vates, poſita antecedentis ſequela, rem extantem aſſumit; & concluſionem demonſtrationis infert. Sed de Tripode nimis multa.

*Et alibi de Origine Græcorum Oraculorum:*

Sed ne Deos ab oraculo tradere, ac divinandi principium, imò ipſam ſubſtantiam ac vim in *ſpiritus, vapores exhalationesque* referre videar, pro divinationis ſubjecto, *mentem*: pro inſtrumento plectroque, quod facultatem moveat, *Vaporem*: pro cuſtode verò, præſide, atque inſpectore *Deum* ſtatuo: qui alia tempeſtivè ſubjungit, alia intendit, abalienationem mentis reſtringit, vaporemque ita temperat, ut ſine noxa & dolore moveat correptos; Deus enim per *infima* quæque cognitione carentia patefacit quædam cognitione *ſuperiora*: ubi teſtatur, ſe longè ſupereminere naturam. Jamblichus in lib. de myſteriis.

ſteriis. Hæc ita luſus ergò diſſerui: Seriò tamen & cordatò pronunciandum; *Spiritum iſtum, qui ſpecu Delphico, prodibat, non aliunde, quàm ab inferis*, emanaſſe; ac jure optimo πλȣτωνος λάτρον, i.e. *Plutonis* famulum dici. Quale autem fuerit illud vaticinandi principium, qualis author, comploratum erit ei, qui vel ejus fallacias & impoſturas ſpectabit, aut in *Pythiam* influendi modum: Quippe ſpiritus iſte, ſeu dæmon (quem Sacri ſcriptores אוב *ob* vocant) *Pythiam* per immundas (& quæ vix poſſunt honeſtè nominari) partes intrabat. Ipſa inquam tripodem conſcendens è ſubjecto antro per *pudenda* excipiebat dæmonem; quem cum penitus ſenſiſſet, horripilabat illicò, & (quod hodie quibusdam fanaticis, Anglicè Quackers dictis accidit) ſumma omnium membrorum trepidatione corripiebatur; *ſpumas* excernebat fætidiſſimè; reliquaque complens omnia, quæ *maniaca* ſolent, τὰ τ' μαντιας, ἢ μᾶλλον μανίας ῥήματα (ut ludit Schol. Ariſtoph.) proferebat. Deinde *ſpiritus* iſte ſeu *ob* eò fallaciarum proceſſit, ut, Delphos ethnici plerique (teſte Plutarcho) veluti σοφιςȣ διατριβὴν negligerent. Hactenus doctiſſimè Dominus *Dickinſonus*. *Ego* verò *Pythiam* cum ſuo tripode ideò titulo præfixi, quoniam videtur Hieroglyphicè & emblematicè optimè contenta hujus mei ſcripti, naturam nempe mineralium exprimere & ſcopo meo convenire. *Pythia* enim vatem ſignificat, ſicut & *Sybilla*. Quomodo verò hæ *duæ vates* inter ſe conveniant, certè non *indocta combinatione* vobis exponam, & cum, ut JurisConſulti ferunt, teſtimonium in *trium ore* conſiſtat, addam & ego quoque tertiam vatem, nempe *Mariam Prophetiſſam Moſis ſororem*. Quibus expoſitis videbimus, quis *Pytho*



Digitized by Google

Apollineus & *Pytho* ſerpens ſit, quomodo inter ſe conveniant, imò invicem transmutentur. Verum enim eſt, quod jam multis ſatis notum, ut *Valerianus Pierius, Pater Athanaſius Kircher*, ſpecialius autem *Donn. Herbert Baro de Cherebury* Anglus in Tractatu ſuo doctiſſimo Mythologico de *Diis Gentilium*, nec non & noſter eruditiſſimus Doctor *Dickinſonus in Delphis ſuis Phœnicizantibus* expoſuêre & demonſtravêre; latere nempe ſub ejusmodi *fabulis Veritatem, ſub umbra lucem, ſub idea eſſentiam* & ſi hoc locum habeat, quod & *ridendo veritas dici poſſit*, quare veteres noſtri *Myſtæ* non ſub *fabulis, umbris & figuris* ingenioſis viris proponere potuerunt hieroglyphicè, quod ſimplici popello apertè dicere artemque non proſtituere potuerunt, unde illud *hieroglyphicum* ſcribendi genus *ſacrum* vocabatur & ſecretum, licèt publicis cippis & Pyramidibus inſcriptum fuerat. Sicut enim optimè *Gellius* ait: *qui loqui vel ſcribere vult, quod nemo intelligat, præclaram rem præſtat ſi taceat*, ita temeraria ſtultitia eſt *loqui & ſcribere, quæ omnes intelligant, & quæ non niſi ſacris his initiati ſcire deberent*. Sicut enim & *omnibus fidere & nulli fidere* indecorum eſt, ita & *omnibus ſcribere, ut intelligant, & nullis ſcribere ut non intelligant* iniqvum eſt. Unde illud tertium emerſit: *pro captu lectoris habent ſua fata libelli*. Magna hæc ſcriptorum calamitas eſt, imò præcipua *Charibdis & Scylla*, præſertim in Chymicis. Nam quod magnus ille *Joſephus Scaliger* de Auctoribus in generali ſcribit: *Omninò qui animum ad ſcribendum applicant, alterutrum incurrant neceſſe eſt, aut ſi male ſcribant contemtum, aut ſi bene odium.* Ita ſanè in Chymicis & omnia *propalare & nihil dicere* valde periculoſum eſt, hic pugnat *invidia, ibi polylaleia*,

*laleia*; inde *odium*, hinc *philautia*. *Chriſtus* Dominus noſter & Salvator videtur deciſionem hujus quæſtionis feciſſe, cum de *ſepeliendo talento & ponenda luce* infra medimnum contrarium ſuaſit. Sapientiſſimus *Salomon* proverbium reliquit: *reſponde ſtulto, ne exiſtimet ſe ſapere, & librorũ non eſt numerus.* Quilibet *ſcribit* in hodiernum uſque diem, alii *ſuffurantur* aliena, alii *recoquunt* cramben bis coctam, pauci verò ſunt, qui *propria proferunt, Veritatem quærunt, non ſcribendi vel multitudinis vel arrogantiæ vel neceſſitatis conſideratione, amore & ſtudio*, qualis ego in his difficultatibus ſcribendo fuerim Deo & mihi notum eſt, judicet orbis quicquid velit. Aliis quibuſdam videor fortè *obſcurè nimis, aliis clarè nimis* ſcripſiſſe; falluntur *utrique*, & qui *nihil & qui nimium mihi credunt*: *doctis enim & ſtultis* ſcripſi, hi ut *confundantur*, illi ut *confirmentur*. Verùm cum nobis jam non quæſtio ſit de ſcribendi vel genere vel cauſa, vel modo, redibimus ad *Pythiam* noſtram, quam ita denudavimus, ut *Hymene* ſemper tamen ſepta ſit, dabimus nempè juxta *Cornelii Agrippæ* doctrinam, *fœnum bovi & ſacharum pſittaco*. *Specillo* ita Philoſophico *Pythiæ* noſtræ *matricem* aperiemus.

Suppono itaque per *Pythiam* Naturam intelligi, *matrices* nempe ſeminum, & cum nobis jam unicus ſermo ſit de *natura minerali*, Pythiam illam intelligemus. *Pythia* itaq; eſt matrix mineralis ſive terra, ſive limus, ſive lapis vulgò Quarts/Spad &c. quæ recipit *vapores ſulphureos*, Mercurios nempe *arſenicales*, figitque, & quaſi *putrefactione* quadam calore *fermentativo* in corpus minerale ſive metallicum digerit, unde *Pythia* videtur à Græco πυθω *putrefacio* derivatum eſſe. *Pythia* itaque ſtans ſuper *tripode* &

hic

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

hic ſuper *antro ſubterraneo* introcipiens in *vulvam ſive matricem fœtidum ſpiritum*, hinc fremens & ſpumans ac tandem vaticinans, nihil aliud eſt, quàm lapis fuſilis vulgò Quarts reperibilis in antris & venis minerarum, qui penetratur *vaporibus mineralibus venenoſis arſenicalibus* vulgò Witterung / Schwadem / unde transmutatur in minerale varii generis, quod quale ſit *Docimaſtica* tanquam *Pythia fatidica* docet, nec non illorum differentia apparet, cum vitro miſcentur & funduntur, & ita quaſi in *matricem* ſuam redeunt & regenerantur. Colore enim naturā & differentiam ſuam produnt; & hæc eſt illa *Paracelſi conjuratio ſpirituum*, non magica, ſed Chymica. *Maria prophetiſſa Moſis ſoror* elegantiſſimè exprimit prædicta, cùm dicit: *Fumus complectitur fumum, & herba alba creſcens in monticulis, capit utrumque*, fumus nempe ſulphureus & fumus Mercurialis complectuntur ſe, unde fit tertius fumus *Hermaphroticus arſenicalis*, qui capitur ab *herba alba*, nempe lapide ſeu terra primi generis vulgò Quarts. Admiranda quoque *Sybilla* de *arſenico* ænigmaticè vaticinata eſt, ubi *eſſentiam ejus* materiam operis Philoſophici eſſe non obſcurè profitetur, uti quoque latius patebit ex *Alphabetho meo minerali*, quod *vapor arſenicalis* revera primum principium ſit omnium mineralium & metallorum. Nam quoque conſiderandum venit, quod *Pytho* ſubinde *Apollinem*, ſubinde *ſerpentem* ab Apolline transfixum denotet, unde *Pythia* ſive ludi Apollinares, *Apollo* verò, *Phœbus & Sol* Synonyma ſunt, & apud Chymicos *aurum* denotant, ſerpens verò *Mercurio* pro caduceo inſervit; *Mercurius* autem apud Chymicos argentum vivum eſt, adeò ut *aurum & argentum vi-*

*vum*


*vum una eademque ſint materia*, argentum quidem vivum gradu primo crudum & ſerpentis inſtar venenoſum, aurum verò gradu ultimo decoctum & fixatum ſalutare & Apollineum ſit, poteſtatemque habeat, ſi ritè præparetur, ſerpentem, nempe *Mercurium* occidendi & figendi; verùm de his omnibus latiùs in *Alphabetho minerali*, heic loci tantùm præponere volui, quomodo *Pythia & Tripus Apollineus magicè & Chymicè* intelligi debeant, & quare in titulum hujus ſcripti *emblema* hoc elegerim, nunc reſtat, ut *ipſum tripodem* ejusque ſtructuram, *Laboratorium* nempè noſtrum *Portatile* exponamus.

## Ex *CONRADI HORNEII Profeſſoris in Academia* Juliâ Compendio Naturalis Philoſophiæ diſput. X. Theſ. 26.

Nihil certius eſt, quàm arte factum eſſe non ſemel, ſed aliquoties ex aliis metallis *aurum verum*, quod quâcunque ratione experirentur ii, qui artis experiendorum metallorum gnari ſunt, ne hilum quidem differre à *nativo auro* deprehenderent. Ratione autem id confirmatur. Si, ut jamjam oſtenſum, natura tranſmutare metalla poteſt, poteſt etiam hoc ars, applicando ſcilicet ſibi inter ſe naturalia agentia & patientia. Nihil hoc abſurdum eſt, nec impoſſibile: *poteſt igitur fieri.*




Nummi Craſſities.




Hic nummus aureus ex argento vivo in aurum mutatus ope tincturæ, cujus una pars decem mille partes tinxerat, aſſervatur pro memoria in Gazophylacio Cæſareo. Inſcriptionem concepit ipſe Imperator; ſicut & projectionem propria manu fecit ſubminiſtrante tincturam *Richthauſero* aliâs *Barone de Chaos*. Hiſtoriam projectionis *Seilerianæ* ſub Leopoldo Imperatore legere poteſtis in hiſtoria ejus Anglicè inſcripta & Londini impreſsâ.

OCCA-

# OCCASIO INVENTIONIS HUJUS FURNI.

V*Idi olim ad Rhenum præſertim Moguntiæ operantes ahenarios ſeu ahenorum ſarcitores, inter quos nonnulli erant, qui ſciebant cacabis ferreis pedes affundere, ſicubi fortè evulſi vel confracti eſſent, idque faciebant in publico foro in* parvulo tali furno C & D. 1. *habebat tamen* manubrium D. 1. *ſartaginis inſtar, ſuperiùs injiciebant fruſta ferri & carbones alternatim & ſic ſucceſſivè, donec impleretur furnus, tunc follis ope fundebant ferrum ſine ullo cratere vel crucibulo, liquefactum ferrum defluxit in* pedeſtallum D. 1. *quod luto loricatum viginti circiter librarum capax erat, tunc ſubitò remoto corpore* furni C *apprehenſo* manubrio D. 1. *fundebant ferrum fuſum in formas calidas pro lubitu.*

*Simplex hæc operatio, quam jam ante viginti annos vidi, occaſionem dedit de tempore in tempus ſucceſſivè ſemper aliquid adinveniendi, donec tandem Londini in Anglia ultimam manum imponerem, nactus expertum Mechanicum Bractearum, nomine Höldin, habitans in via S. Martini è regione templi eidem ſancto dicati.* Primum furnum *completiſſimum juxta omnes octo figuras curavi pro me fieri*, ſecundum *accepit* DOCTOR DICKINSONIUS, *Archiater Regis*, tertium *fieri curavit illuſtriſſimus Dominus* BOYLÆUS, quartum *habet celſiſſimus Princeps* RUPERTUS; *Num plures alii ſibi quoque tales furnos compararint, neſcio. Pretium cum omnibus requiſitis facit duodecim libras, nullus hactenus iſto furno uſus eſt, quin uſum ejus maximè laudaverit, credo, quòd Dominus Doctor Dickinſon tres vel quatuor furnos tales ſibi fieri curaverit. Nam cum in itinere Regem ſequi debeat, com-*

*modi*

*mode Laboratorium iſtud Portatile ipſi ad manus eſt; in uno ſæpe die viginti & plura experimenta in eo abſolvi poſſunt. Et tantum de authentica hujus furni inventionis & conſtructionis hiſtoria.*

---

# EXPLICATIO FIGURARUM

## Fig. I.

### Furnus completus.

*Exhibet ideam totius furni, ſed in iſto ſtatu completo nunquam vel rarò adhibetur ad uſum.*

## Fig. II.

### Furnus in ſex partes diviſus.

A eſt operculum *ſuperius cum foramine.* B. 1. *eſt ſuperior* circulus *pro cæmentatione, ſublimatione, deſtillatione &c. vid.* Fig. V. B. 2. Circulus *pro balneis ſiccis, vid.* Fig. VI. B. 3. eſt ahenum *supreum pro coctione.* B. 4. eſt catinus *plumbeus pro digeſtione & deſtillatione per alembicum & veſicam vid.* Fig. VII. B. 5. eſt ſartago *ferrea pro inc̄ineratione & calcinatione metallorum præſertim plumbi & ſtanni. Nota; licet* B. 3. 4. & 5. *ſub una figura lit.* B. 1. *exprimantur, ſubintelligi tamen debere juxta deſcriptionem heic nominatam, ſed* B. 1. *habet ex latere* oſtiolum *& undique luto obductum, ſicut operculum.* A. C. *eſt ipſe* furnus. D. 1. *eſt* pedeſtallum *primum pro fuſione cum vel ſine cratere.* D. 2. *exprimit* tripodem *cum furnus vento non folle agitur.* Num. I. eſt ſyſtema balnei *ſicci ex lamina ferri facti in juſta proportione, ut retortulam recipiat.* Num. 2. ſunt opercula, *quæ ſuperponuntur.* Num. 3. exprimit ſpeciem craterum, *quorum tres ſunt, major, minor, medius.*

## Fig. III.

Furnus pro fuſione, *cum vel ſine cratere in crucibulo.*

*cibulo, vel in aperto igne ſuper carbonibus in ordine ad reductionem.*

## Fig. IV.

Furnus pro capellatione, *calcinatione, reverberatione & cæmentatione; ſpecialem applicationem harum operationum vid. in deſcript. lit.* B. 1.

## Fig. V.

Furnus pro ſublimatione & deſtillatione *ad modum Gebrii & Glauberi, vid. deſcriptionem lit.* A, *nec non pro deſtillatione ſpirituum fortium vid. deſc. lit.* B. 1.

## Fig. VI.

Furnus *pro deſtillatione ex balneo ſicco, vid. deſcript.* D. 2.

## Fig. VII.

Furnus *pro digeſtione ex balneo liquido vel vaporoſo ex cineribus, ex arena in aëre calido, item pro coctione, elixatione & deſtillatione per alembicum & veſicam, vide deſcript. lit.* D. 3. & 4.

## Fig. IIX.

Furnus *pro deſtillatione per deſcenſum vid. deſcript.* D. 2. *ſub finem de novo iſtius tripodis* D. 2. *circuli* B. 1. *& operculi* A. *de compoſitione.*

## Fig. IX.

Follis *ſtructura, fulcimentum & applicatio ad follem patet ex figura.*

## Fig. X.

Schema materialium *pro Laboratorio Portatili, Explicationem Characterum vide ſub finem deſcriptionis furni in nota ad partem ſecundam Laboratorii paragraph. primum.*

## Fig. XI.

Schema inſtrumentorum *Laboratorio Portatili*

tili

*tili inſervientium vide ſub finem deſcriptionis furni in nota ad partem ſecundam Laboratorii Portatilis ad paragraphum ſecundum & tertium.*

## EXPLICATIO CHARACTERUM IN fig. X. ſive Nota ad ſecundam partem Laboratorii paragr. 1.

Marcaſita
Auripigmentum
Regulus
☉ Aurum
☽ Argentum
♀ Cuprum
♂ Ferrum
♃ Stannum
♄ Plumbum
☿ Argentum vivum
♁ Antimonium
Sal
Nitrum
Vitriolum
Alumen


Salmiac
Tartarus
Mercurius ſublimatus
Mercurius præcipitat.
Realgar.
Arſenicum
Sulphur
Cinabrium
Viride æris
Aqua fortis
Aqua regis
Acetum deſtillatum
Urina
Oleum
Calx viva
Cineres.

## EXPLICATIO Fig. XI. ſive Nota ad ſecundam partem Laboratorii paragr. ſecundum & tertium.

1. *Muffel ſive Fornix probatoria.*
2. *Capella vulgo Teſt. ſive Cineritium.*
3. *Patella figulina vitrificatoria.*
4. *Catinus pro candefacienda calce auri vel argenti.*

5. Ca-

Digitized by Google


SCHEMA INSTRUMENTORUM LABORATO
N: 1
2
3
4
9
10
11
12
17
18
19
20
26
27
28
33
34
35
36
42
43
44
49
50
51
52
57
58
59
60


RIO PORTATILI INSERVIENTIUM .F:XI
5
6
7
8
13
14
15
16
21
22
23
24
29
30
31
32
37
38
39
40
45
46
47
48
53
54
55
56
61
62
63
64

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

atinus probatorius cum fluxu nigro præſertim pro cupro aliiſque mineris.

rucibulum cum operculo & pedeſtallo.

yxis cæmentatoria.

Conus pro fundendo Regulo Antimonii.

Infundibulum pro lingonibus.

Infundibulum pro plumbo vitrificato ejuſque Regulo imbuto.

Forma metallica pro faciendis cupellis.

Mortarium cum piſtillo & molendino amalgamatorio.

Forceps pro carbonibus.

. Forceps pro tigillis.

Forceps pro granis argenti & auri.

5. Forceps vulgaris pro communi uſu.

7. Virga ferrea pro movenda maſſa in crucibulis, item Ferramentum pro præſcindendis vitris.

8. Cochlear ferreum pro injiciendis ſpeciebus in crucibula.

9. Sartago ferrea pro calcinatione Saturni & faciendis cineribus Jovis.

20. Scalprum.

21. Lima.

22. Scopa ex filis orichalceis pro mundandis granis argenti remanentibus in capella.

23. Malleus.

24. Incus.

25. Helix.

26. Tripus pro vitris ſeparatoriis & crucibulis.

27. Cribrum.

28. Pes leporinus pro verrendis pulveribus.

29. Umbraculum adverſus ignem.

30. Situla lavatoria pro mineris vulgo Sachſe.

31. Forfex communis.

32 For-

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

5. *Catinus probatorius cum fluxu nigro præſertim pro cupro aliisque mineris.*
6. *Crucibulum cum operculo & pedeſtallo.*
7. *Pyxis cæmentatoria.*
8. *Conus pro fundendo Regulo Antimonii.*
9. *Infundibulum pro lingonibus.*
10. *Infundibulum pro plumbo vitrificato ejusque Regulo imbuto.*
11. *Forma metallica pro faciendis cupellis.*
12. *Mortarium cum piſtillo & molendino amalgamatorio.*
13. *Forceps pro carbonibus.*
14. *Forceps pro tigillis.*
15. *Forceps pro granis argenti & auri.*
16. *Forceps vulgaris pro communi uſu.*
17. *Virga ferrea pro movenda maſſa in crucibulis, item Ferramentum pro praſcindendis vitris.*
18. *Cochlear ferreum pro injiciendis ſpeciebus in crucibula.*
19. *Sartago ferrea pro calcinatione Saturni & faciendis cineribus Jovis.*
20. *Scalprum.*
21. *Lima.*
22. *Scopa ex filis orichalceis pro mundandis granis argenti remanentibus in capella.*
23. *Malleus.*
24. *Incus.*
25. *Helix.*
26. *Tripus pro vitris ſeparatoriis & crucibulis.*
27. *Cribrum.*
28. *Pes leporinus pro verrendis pulveribus.*
29. *Umbraculum adverſus ignem.*
30. *Situla lavatoria pro mineris vulgo* Sachſe.
31. *Forſex communis.*

32 For-

32. *Forfex pro laminis metallicis.*
33. *Follis.*
34. *Pyxis lignea pro granulatione.*
35. *Catinus cupreus pro calce argenti in ſeparatione per (Aquam fortem.*
36. *Patina figulina.*
37. *Catinus ligneus.*
38. *Ahenum.*
39. *Manica Hippocratis ſive Emporeticum laneum.*
40. *Urceus.*
41. *Statera docimaſtica.*
42. *Bilanx pro ponderando auro.*
43. *Bilanx civilis.*
44. *Crucibula ſeparatoria pro Aqua forti.*
45. *Cucurbita pro deſtillatione.*
46. *Alembicus.*
47. *Excipulum deſtillatorium.*
48. *Vas vitreum recipiens.*
49. *Retorta.*
50. *Phiola.*
51. *Sublimatorium fixatorium, vulgò ovum Philoſophicū.*
52. *Filtratorium.*
53. *Separatorium pro oleis.*
54. *Urceolus vitreus pro infuſione.*
55. *Vitrum pro filtratione.*
56. *Vitrum pro receptione & conſervatione liquorum.*
57. *Patina vitrea pro reſolutione per deliquium.*
58. *Acus probatoria pro auro & argento.*
59. *Lapis Lydius.*
60. *Veſica ſuilla cum volumine chordæ ſeu filamenti.*
61. *Suber & cera.*
62. *Mantile & Præcinctorium.*
63. *Supparus ſive Perizoma lineum.*
64. *Theriaca, Tobaccus Pipa, Candela, Clepſydra.*

JOH.

Digitized by Google

I.

# JOH. JOACHIMI BECHERI,

SPIRENSIS MEDIC. DOCT.

SCYPHUS BECHERIANUS

*Sive*

# LABORATORIUM PORTATILE.

QUO OMNES LABORES CHYMICI EXCOGITABILES ET PRACTICABILES LEVI SUMTU, BREVI TEMPORE, JUCUNDA OPERATIONE ELABORARI POSSUNT.

*ACCESSIT EJUSDEM METHODUS VERA ET GENUINA PHILOSOPICE ET SPAGYRICE*

LABORANDI.

Plutarch.


*Inſtrumenti cujusvis laus eſt, ut ſit expeditum & facile.*

# SCYPHI BECHERIANI
Seu
# LABORATORII PORTATILIS
## STRUCTURA ET USUS.

## *PRIMA PARS LABORATORII nempè FURNUS.*

STRUCTURA *FURNI* patet ex figura, eſt *altitudinis* trium pedum & trium pollicum, *latitudinis* ſuperioris ſedecim pollicum, circa *fundum* novem collicum in diametro figuræ conicæ ſuperiùs fornipatæ, ut Iconiſmus adjunctus uberiùs demonſtrat. *Materia,* unde *furnus* conſtructus eſt, conſtat ex fortibus laminis ferreis compaginatis, *craſſities* furni interior eſt pollex cum medio. In tantum enim obducitur aliquo bono luto vel limo ignem ferente; & ne lutamentum excidat vel decidat, in lateribus furni ferrei aculei ſunt, quibus limus involutus detinetur; & in ſuperiore ac inferiore parte furni, ſicut & in operculo & ubicunque lutum eſt, circuli ſunt, qui lutamentum ſuſtinent.

Ipſe





FURNUS COMPLETUS FIG: I

LABORATORIUM PORTATILE


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google


A
B 2.
B 1. 345
Nº 2
C
Nº 3
Nº 1.
D 2.
D 1.
FURNUS IN PARTES DIVISUS
F: II.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google


A
B
C
D
FURNUS PRO SUBLIMATIONE
ET DISTILLATIONE FORTI
F. V.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Ipſe *furnus* conſiſtit ex quatuor partibus: 1. *operculo*. 2. *circulo* ſive coronide. 3. *corpore ipſo*. 4. *fundo* ſeu pedeſtallo. *Operculum* inſignitur lit. A. *Coronis* lit. B. *Corpus* lit. C. & *pes* lit. D. & hæc eſt *generalis* furni diviſio, nunc ſequitur *ſpecialis* ejus partium enumeratio, quæ in ſequentibus conſiſtit.

*Primò* ſciendum eſt *OPERCULUM* hoc ordinarium, ſive ad tegendum ipſum *furni* orificium, ſive ad tegendum circulum ſuperiorem, idque ad conſtringendas flammas & concentrandum ignem, ut in capellatione, cæmentatione, reverberatione, deſtillatione per retortam ſuper aperto igne neceſſariò requirit. Hoc ergò *operculum* eſt intùs luto loricatum pro ferenda ignis potentia, habet ſuperiùs orificium, quod aperiri & claudi poteſt; ſummi uſus non modò ad regendum & temperandum ignem, verùm etiam ad recipiendas ollas ſublimatorias, quæ ſuperponi & adaptari poſſunt, in quibus omnes *ſublimationes florum mineralium* & *deſtillationes* copioſæ *ſpirituum ſalinorum*, nempè omnes operationes *Gebrianæ* & *Glauberianæ* optimè perfici poſſunt, injectâ ſuper prunas materiâ per oſtium *furni* C, quod poſteà clauditur; crateres omnes eximuntur, ignis eſt in pede D, id eſt, applicato folle. Sic materia, licèt utcunq; fixa, cogitur vel in flores, vel in ſpiritus aſcendere, nec ignis, ut *in Glauberi furnis*, extinguitur, & habet ex utroque latere duas ferreas anſas, quibus commodè regi & adaptari poteſt, vide fig. V. A


Sequitur *CIRCULUS* ſive *CORONIS*, quæ *furno* imponitur & lit. B. notatur, habetque *quinque genera* B. 1. B. 2. B. 3. B. 4. B. 5. inſervit autem *primus B.* 1. partim ad *amplificandum furnum*, partim ad *dandum ignem* ſuppreſſionis in deſtillatio- B

ne & cupellatione, partim in cæmentatione, reverberatione, ignitione & calcinatione, vid. Fig. IV. & quidem ad *dandum ignem ſuppreſſionis*, ſuper imponitur *Circulus* B. 1. *furno* C & adaptatur *circulo operculum* A ſine primo & tertio cratere, reſtante ſolo medio cratere in furno C, ſuppoſito ei pede ſive D. 2. ſi remiſſiùs, ſive D. 1. ſi intenſiùs ignem dare velis, adhibito ſcilicet folle, tunc imponitur, aut retorta loricata vitrea aut terrea, ut roſtrum tranſeat per oſtium *furni* C, reliquo oſtii benè lutato, vid. fig. V. vel imponitur *fornix probatoria*, eadem ſituatione, ita tamen, ut oſtium claudi poſſit, vid. fig. IV. His ſic diſpoſitis ſuperiùs per foramen *operculi ſuperioris* A injiciuntur vel primò prunæ, ſi *ad modum Aquæ fortis* deſtillare velis, vel ſi cum *ſuppreſſione*, injicias ultimò prunas, & permitte furnum ignem concipere juxta gradus, ut placet, & ſic continua tuam operationem fortiùs & remiſſiùs, taliter poteris *Aquam fortem, oleum vitrioli aliosque fortes ſpiritus deſtillare per retortam igne potentiſſimo.* Sin verò calcinare, cæmentare vel reverberare velis, exime craterem medium, ſuppone tertium, & adde primum, adaptato operculo A, & ſuper craterem primum pone vaſcula cæmentatoria, quorum *ignis gradus* obſervare poteris per *oſtiolum circuli* B. 1. ſuppoſito pede D. 2. flammam verò regere poteris per ſuperius orificium A, carbones injicies per oſtium furni C, ità flammæ tranſcendent ſuperiorem craterem, & undiquaque lambent & ignefacient vaſa ſuperincumbentia. Quòd ſi fortè *materia cæmentanda, reverberanda* vel *calcinanda volatilis* ſit, ejusque partem ſubtiliorem ac volatiliorem capere velis, ſuperpone ſuperiori orificio operculi A ſublimatoria, vid. fig. V. Unde liquet, quàm utilis hæc

opera-


FURNUS PRO CUPELLATIONE CALCINATIONE
A
B1
C
D2
F: IV
REVERBERATIONE ET CÆMENTATIONE

BIBLIOTECA NAZ.


FURNUS PRO DESTILLATIONE
EX BALNEO SICCO
F. VI.
B 2
C
D 2

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ꝑperatio ſit in eodẽ contento ſuper cratere primo & operculo A. *Mineras* quoq; in ollulis his cum fluxu vel nigro vel alio *probare* poteris & *reducere*, ut aliâs mo-is apud metallurgos, poſſunt autẽ multa vaſa imponi.

*Secundus Circulus* B. 2. ſuperponitur & adaptatur *furno* C. eâdem ratione, quâ circulus B. 1. niſi quòd operculum A. & primus crater removeatur; habebis tria *balnea ſicca*, in quibus ex retortis vitreis non loricatis deſtillare poteris, ne quidem ſervatis ignis gradibus, neque ulla tamen rumpetur, & potes ad lubitum ignem dare, ita ut retortæ tandem liqueſcant, maneantque nihilominus integræ, operatio celeris & ſecura. Nam trium horarum ſpatio abſolvitur negotium. Ipſe *Rex Angliæ* cum Principe *Ruperto*, videns hanc operationem, eam admiratus eſt. Ego ſanè hâc methodo perplurima experimenta feci, cùm alii admirarentur, me tàm pauco tempore, tàm exiguis ſumtibus & carbonibus, tot operationes & quidem accuratiſſimas abſolviſſe; ſed in omni genere operationum Chymicarum ſine tali furnulo eas perfeciſſe impoſſibile fuiſſet. Potes quoque apertis operculis balneorum ſiccorum ſemper ad retortas reſpicere. Totus hic circulus quoque cum balneis ſuis ſiccis ferreus eſt, ſed non lutatus, eo quòd non tantum ignem requirat; *opercula ſuperiora ſunt pro regendo igne.*


*Tertius Circulus*, nempè B. 3. Ahenum cupreum eſt, ſive ex orichalco, *pro varii generis coctura & elixatione, extractione, evaporatione, inſpiſſatione*, & apponitur orificio furni C, aperto oſtiolo iſtius circuli, quo fumus exire queat, & adornato igne carbonum per oſtium corporis furni C, ſupra tertium craterem applicato pede aperto ſeu tripode D. 2. ſic

ſic ignis ad *coctionem* adhiberi poteſt quamcunque fortiter & demiſsè pro lubitu, præſertim ſi interdiu in furno continuo laboraveris, totam noctem calidus erit, atque ita ahenum digeſtorium ſive aquâ ſive cineribus vel arenâ repletum ſuperponere, & integram noctem evaporare vel digerere potes. Quod ſi primum craterem ponas in coronidem B. 1. & ſupra ahenum ſive prænominatum vas digeſtorium, intra oſtiolum verò coronidis applices lampadem, habebis rurſus optimum furnum pro igne lampadis. Novi aliquos, ut *Medicum Regium Dom. Doct. Dinckinſonium*, qui varios tales furnos ſibi fieri curavit ſolummodò pro digeſtione, quòd commodos ſibi per maximè in iſtum finem comperiretur, vid. fig. VII.


*Quartus Circulus* B. 4. eſt catinus plumbeus cum lato fundo, cum alembyco ſtanneo, prorſus ad eum modum, quo veſicæ Anglicanæ paſſim Londini publicè veneunt; talis *catinus deſtillatorius*, ſive veſica ſuperponitur furno C. adminiſtratur ignis ſicut in præcedente catino digeſtorio B. 3. & ſic commodiſſimè in *balneo deſtillare poſſumus per modum veſicæ omnis generis aquas ſimilem deſtillationem deſiderantes*, ut ſunt: *aquæ vegetabiles, odoriferæ, ardentes, oleæ, &c.* poſſunt etiam ſolutiones arenarum auriferarum aliarumque rerum fieri, *qualium Glauberus meminit* abſtracto & ſervato ſemper ſolvente ſeu menſtruo.

*Quintus Circulus* B. 5. eſt ſartago fortis ferrea, quæ ſuperponitur ipſi furno C adhibito igne ſuper ſecundo vel tertio cratere, applicato pede aperto D. 2. ſic poteris in *ſartagine ſulphurare, pro vitrioliſicatione calcinare, cineres ſtanni & plumbi facere pro minio, ochra, lythargirio potes ſalem decrepitare, vitrum ſiccare, fundere alumen, vitriolum torrere multasque*

*alias*



FURNUS PRO DIGESTIONE ET DESTILLATIONE EX BALNEO MARIÆ PER VESICAM
F. VII.
B 4
C
D 2

Digitized by Google


FURNUS PRO FUSIONE
C
D 1
CUM ET SINE CRATERE
F: III

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
MANUELE

Digitized by Google



F: IX.

FULCIMEN ET APLICATIO FOLLIS

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

*alias operationes facere majorem ignem requirentes*, præſertim in ordine ad *vitrioliſationem*, *vitrificationem & Mercurificationem metallorum & mineralium*, quæ omnes operationes & præparationes heic loci commodiſſimè peragi poſſunt.

Habetis uſum & rationem quatuor operculorum ſub generali litera A expoſitum.

Venit conſideranda pars tertia *noſtri furni*, nempe *IPSUM EJUS CORPUS* vel potius truncus; ſub litera C unicus eſt, nec habet plures numeros, prout ejus operculum, tres tamen habet crateres, quorum uſum, præſertim primi & tertii, jam in antecedentibus potiſſimùm expoſui. Situatio juxta illorum uſum eſt, ut major crater ſuperponatur furno noſtro C. Medius crater paulo infra oſtium furni C; & tertius minor ad finem vel fundum furni C. Omnes crateres, quilibet ſua ſituatione ſtat per ſe ob formam conicam furni; quanquam, cum lutamentum adhuc novum eſt, præſtet quemlibet craterem nonnihil imprimere, ut ſtriam relinquat, quæ poſt ſiccationem furni indurabitur & ſic crateres eò accuratiùs ſuſtinebit. His ſic præmonitis, nihil aliud ſignificandum occurrit, niſi quòd *hic furnus* ſub lit. C ſimpliciter notatus, ſimplicem quoque operationem (abſtractis tamen aliis quibus cooperatur) exhibeat, nempè *fuſionem ſeu liquefactionem*, vid. fig. III, quæ tamen duplex eſt: datur enim, (quòd benè notate) *fuſio in crucibulo, ſine & cum cratere*, utraque in hoc furno noſtro C optimè & dexterrimè peragi poteſt. Ad utramque verò operationem, diſponendus ſit *furnus* ſine operculo, ut ſit ullo A & ſine ullo circulo B, ſed liberè apertus uno tantum pedeſtallo D. 1. & folle inſtructus (quoq; portatili, ut fig. IX. C

 demon-

demonſtrat) tum ſi *primò in crucibulo fundere velis*, appone illum ſuper craterem medium, vel aliquo maſſivo ferro, vel lapidis fruſtro ignem ferente, pro proportione crucibuli inferioris partis accommodato, ne directè ſtet ſupra craterem, quod crucibulum infrigidaret; tecto crucibulo rurſus cum ferramento, vel cum figulino tegmine injice ignem ſuperiùs & ſuffla per follem clauſo oſtio anteriori & ſuperiori *furni* C. quod eſt ad orificii ſummitatem, & videbis ingenti potentiâ agitante folle contentam materiam in crucibulo fundi. Ubi *tria beneficia* conſideranda, *primò* quòd aër ſubtus flans non ad latus crucibuli tendat, idque vel infringat vel rumpat, ut *apud fabros ferrarios communiter accidit*, & quòd ignis ratione follis ad amuſſim dirigi poſſit, incipiendo vel finiendo, prout placet, quod in furnis venti impoſſibile eſt. *Secundò* quòd ſi contingat, ut ob acredinem materiæ contentæ crucibulum quoddam dilueretur vel rumperetur, materia tamen non perdatur, ſed fluat ac decidat directè in pedem ſuppoſitum D. 1. *Tertiò* quòd ſemper ſuperiùs in crucibulum introſpicere poſſis, idque regere, materiam contractam ſubinde agitare, denique ignem ad amuſſim moderare poſſis, quod in hoc furnulo dexteriter fieri poteſt, pauciſſimis quidem carbonibus meliùs, *quàm in omnibus furnis Glauberianis aut cujuscunque hujus mundi.*

*Secundo ſi ſine crucibulo & cratere fundere velis*, ut moris eſt apud fodinas, *vulgo* **Strichöfen**/ certè hic habebis optimam occaſionem, & quidem talem exactam hujus operationis probam fieri, niſi in magno, quod cum ingentes ſumtus requirat amatores deterruit. Interim utiliſſimæ operationes

rationes & metallorum alterationes fiunt per reductiones, ob difficultatem operationis *hactenus parùm Artiſtis notas*; heic verò in noſtro furnulo quàm commodiſſimè, neque etiam tàm in parvo, ſed cum decem libris alicujus metalli vel mineræ, imò ipſius ferri fieri poteſt; diſpoſitio verò furni talis eſt ad hunc uſum, ut ſalvâ manente diſpoſitione furni, ſicut in priori operatione ſeu fuſione cum crucibulo ſuper cratere dictum eſt, tandem crucibulum & crater omnis amoveatur, remanente folle & pede D. 1. ac ſucceſſivè ignis inſtruatur ac ſtratis ſive ſuperinjectis invicem carbonibus & ſubjectis liquefaciendis in fundum ſive hæmisphærium pedeſtalli D. 1. defluant ac confluant, de qua operatione jam finaliter agemus.

Tandem ad finem & FUNDUM SIVE FUNDAMENTUM NOSTRI FURNI pervenimus, nempè *pedem*, qui duplex eſt D. 1. & D. 2. *Lit. prima* denotat *unum conum, cujus figuram & magnitudinem ac capacitatem appoſitus iconiſmus exhibet*, repletur *optimo luto ignem ferente*. Ubi modicum ſiccare inceperit, imprimatur hæmiſphærium ligneum ad *proportionem, quantum recipere debeat*, in cujus fundo fiat foramen pollicis magnitudine, tendens & exiens ad latus unu, quod aperiri & occludi poteſt; fuſa ergò materia, & flante folle ex altero foramine è regione, ita tamen, ut directè ſuperficiem materiæ fuſæ petat, ſcoreæ & carbones ſublevabuntur à materia fuſa, & illa ex inferiori foramine aperto liberè defluet. *Auſim dicere, me multas mineras ac mirabiles obſervationes occaſione hujus liquefactionis reperiſſe.* In antecedente liquefactione id bonum eſt, quod ſemper crucibulum inſpicere poſſis, in hac poſteriori verò fuſione ſine

 cruci-


crucibulo & cratere ſuper ipſis prunis, quod fuſo metallo in baſi, pede ſeu cono inferiori D. 1. abſtracto furno C ad duo ſua manubria ſtatim deponere, metallumque fuſum vel in cono relinquere, vel effundere poſſis, ſi non per foramen D. 1. transfluere permittere velis. D. 2. eſt *tripus præbens liberum aerem furno ad varias operationes, ſi non magno igne opus ſit*, nempè folle & D. 1, nam hic in D. 2. ſemper tertius vel ſecundus crater ineſſe debet, fundit tamen magnam flammam, ejicitque per orificium operculi A ad aliquot ulnas, ſuos habet excellentes uſus in variis operationibus, ubi folle non opus eſt. Nota *novam* ex *hoc tripode* D. 2. *decompoſitionem*, vid. fig. VIII. pone ſuper eum operculum inverſum A & ſupra illud circulum B 1. habebis *optimum furnum deſcenſus*, pone vel cucurbitam vel retortam in illam concavitatem, ut cum collo foramen operculi inverſi A tranſeat, luta ſubtus & ſuppone vas, ſuperiùs verò da ignem & videbis, ſi in debitis materiis operatus fueris, quid ages. Et tantum de *ſtructura & applicatione furni noſtri*. Reliqua vide ex figuris earumque explicationibus.

## SECUNDA PARS LABORATORII

### *nempè* Requiſita, Materialia & Inſtrumenta.

I.



MATERIALIA ad labores Chymicos requiſita ferè ſunt ſequentia, ſi repoſitorium tibi fieri curare velis *decem claſſium*, ſicut in ſufficientia culinari in promtu & ad manus omnia habere poteris: *mul-*


FURNUS PRO DES TIL LATIONE PER DESCENSUM
F.VIII
SALVE PRISCA FIDES TRIPODUM

Digitized by Google

Digitized by Google

# SCHEMA MATERIALIUM PR

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I | MINERÆ |  |  |  |
| II | METALLA | ☉ | ☽ | ♀ |
| III | MINERALIA | ♁ | Biſmuth | Zinck |
| IV | SALIA | ⊖ | ⦶ |  |
| V | DECOMPOSITA |  |  |  |
| VI | TERRÆ | ⊕ | Crocus ♂ | Crocus ♀ |
| VII | DESTILLATA |  | Sp  Sp  | Sp ⊖ |
| VIII | OLEA | Ol   | Ol  | Ol. fœtid  |
| IX | LIMI | C.V. ♆ | Arena ∴ Cineres  | Creta Rubric |
| X | COMPOSITIONES | Fluxus Niger | Fluxus Albus | Cera Tinctu |

Digitized by Google

# LABORATORIO PORTATILI. F: X

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | | | |
| ♂ | ♃ | ♄ | ☿ | |
| Marcaſit | Kobolt | Zaffra | Magneſia | Magnes |
| ○ | ✳ | ♀ | Borax | Chryſocoll |
| ⚯ | 🜍 | 33 | | |
| Vitrum ♁ | Vitrum ♄ | Minium<br>Lithargirium | Cadmia<br>Tutia | Ochra<br>Schmalta |
| Sp ⦶ | Sp V | Sp ♀ | ⁛ | Sp ⊡ |
| Ol. p deliq ♀ | Butyr ♁ | Liquor<br>Silicum | Ol. Therebent | |
| erraSigillata<br>Bolus | Hæmatites<br>Smiris | Talcum | Granati | Asbestus |
| oloriza | Decoctio | Tirapelle | | |

Digitized by Google

# SCHEMA MATERIALIUM

PR…

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| I | MINERÆ | ☄ | | |
| II | METALLA | ☉ | ☽ | ♀ |
| III | MINERALIA | ♁ | Biſmuth | Zinck |
| IV | SALIA | ⊖ | | |
| V | DECOMPOSITA | | | |
| VI | TERRÆ | ⊕ | Crocus ♂ | Crocus |
| VII | DESTILLATA | | Sp<br>Sp | Sp |
| VIII | OLEA | Ol | Ol | Ol. fætid |
| IX | LIMI | C. V. ♆ | Arena ∴<br>Cineres | Creta<br>Rubric… |
| X | COMPOSITIONES | Fluxus Niger | Fluxus Albus | Cera Tinct… |

Digitized by Google

# LABORATORIO PORTATILI. F: X

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | | | |
| ♂ | ♃ | ♄ | ☿ | |
| Marcaſit | Kobolt | Zaffra | Magneſia | Magnes |
| ○ | ✳ | 🜖 | Borax | Chryſocoll |
| ⚯ | 🜍 | 🜺 | | |
| Vitrum ♁ | Vitrum ♄ | Minium Lithargirium | Cadmia Tutia | Ochra Schmalta |
| Sp ⏀ | Sp V | Sp 🜖 | ⸭ | Sp ⊡ |
| Ol. p deliq. 🜖 | Butyr ♁ | Liquor Silicum | Ol. Therebent | |
| Terra Sigillata Bolus | Hæmatites Smiris | Talcum | Granati | Aſbestus |
| Coloriza | Decoctio | Tirapelle | | |

Digitized by Google

*multum enim præſtat præſentia rerum, ſine qua multi proceſſus intentati relinquuntur, vel imperfectè, vitioſè, & mutilè elaborantur.*

*PRIMA CLASSE* continebuntur *MINERALIA VARIA, Auri, Argenti, Plumbi, Stanni, Ferri, Cupri, Cinabrii, Antimonii, Sulphuris, Vitrioli, Mondyck*, &c.

*SECUNDA METALLA PERFECTA, Aurum, Argentum, Plumbum, Stannum, Ferrum, Cuprum, Argentum vivum, Orichalcum.*

*TERTIA MINERALIA IMPERFECTA, Antimonium, Biſmuth, Zinck, Marcaſita, Koboldum, Zaffra, Magneſia.*

*QUARTA SALIA*, ut *Sal commune, Nitri, Alumen, Vitriolum, Tartarus, Borax, Chryſocolla.*

*QUINTA DECOMPOSITA, ut Mercurius ſublimatus, præcipitatus, Arſenicum, Auripigmentum, Realgar, Sulphur.*

*SEXTA TERRÆ, CADMIA, Tutia, Schmalta, Ochra, Viride æris, Ferretum, Crocus Martis, Veneris, Minium, Lythargirium, Vitrum Saturni, vitrum Antimonii.*

*SEPTIMA DESTILLATA, Aqua fortis, Regia, Spiritus Salis, Nitri, Vitrioli, Sulphuris, Vini, Tartari, Aceti, Urinæ.*

*OCTAVA OLEA, ut oleum Therebenthini, vitrioli, fœtidum, tartari* per *deliquium, liquor ſilicum, oleum ſulphuris, Butyrum Antimonii.*

*NONA LIMI, Terra ſigillata, Creta, Calx, Arena, Cineres, Hæmatites, Smiri, Talcum, Granati, Rubrica, Asbeſtus.*

*DECIMA COMPOSITIONES* quædam, ut: *fluxus albus, niger, aurifabrorum cera tinctoria, coloriza coitio argenti vulgo* Anſude/ vid. fig. XI.

II. Se-

II. Sequuntur INSTRUMENTA laboribus Chymicis neceſſaria, nempè *malleus*, *ſcalprum*, *Incus*, *Forfex*, *Forceps* pro carbonibus, crucibulis, *probis*, **Krätzer** ſeu *mundatorium*, *lima*, *hælix*, *infundibulum*, *conus* pro regulo, *mortarium*, *ahenum ſeparatorium*, *cribrum*, *æris probatorium ſuper aurum & argentum*, *libra probatoria*, *communis*, *ſpeculum* contra ignem, *manica Hippocratis*, *modulæ* pro cupellis & crucibulis, *charta emporetica*, *lutum* pro vaſis, *chordæ*, *veſicæ ſuillæ*, *ſuber*, *perizoma*, *ſupparus*, *mantile*, *chirotheca*, *ſpeculum cauſticum*.

III. VASA ET RECEPTACULA *terrea*, *metallica*, *vitrea crucibula*, *patellæ vitrificatoriæ*, *crucibula probatoria* pro mineris, *excandefactoria* pro auro, *pyxides cœmentatoriæ*, *teſtæ*, *cupellæ*, *fornices cupellatorii*, *cupellæ* pro arena ſublimatoria, *cucurbitæ*, *ſeparatoriæ cucurbitæ*, *filtratoria ſeparatoria*, *retortæ*, *phiolæ*, *alembici recipientia*, *patinæ vitreæ*, *vitra reconditoria & reſervatoria*, *catini*, *patinæ*, *ollæ*, *ahena*. vid. fig. X.

## PARS TERTIA LABORATORII, *nempè* Operationes.

SEquuntur OPERATIONES, quæ in *hoc furno* dexterrimè peragi poſſunt, & in ſatis magna quantitate & celeritate, ac commoditate.

Primò *digerere*, *cohobare*, *præcipitare*, *ſublimare*, *deſtillare* ex balneo, cineribus, arena, balneo ſicco, igne aperto, per aſcenſum, per deſcenſũ, *coquere*, *elixare*, *extrahere*, *evaporare*, *inſpiſſare*; *ſeparare*, *ſiccare*.

Secundò *torrere*, *calcinare*, *reverberare*, *cæmentare*.

Tertiò *vitrificare* per Saturnum, in patella figulina,

gulina, vitrificare, *ſcoreificare*, in *regulum fundere*, *reducere*, *probare* in cupella, *fundere* per Antimonium, *refinare, ſufflare, mineras probare.*

Quartò fortiſſimo igne *fundere* in crucibulis ſuper cratere, & ſine crucibulis, ac cratere igne aperto ſuper carbonibus, ferrum omniaque mineralia, *ſcoreas & vitra reducere*, paucis carbonibus *ingentiſſimum ignem dare.*

Quintò, in magna quantitate *ſublimare*, more Gebriano, *Mercurios corporum facere*, *metalla maturare* & *perficere*, *ſpiritus corroſivos* in maxima quantitate *facere*, & *deſtillare*, cum minimo ſumtu meliùs Glauberiano modo.

Verùm ad *has operationes* rectè inſtituendas non modò *enchiriſis practica* requiritur, quæ facilè & pauco tempore addiſci poteſt; ſed & operationum harum & cauſæ Phyſicæ, ulteriùs & profundiùs inveſtigandæ & cognoſcendæ ſunt, ut ad mentem, intentionem, lubitum & voluntatem *operantis* dirigi, diſponi & alterari queant; ne, ſive *operationes* benè ſuccedant, ſivè malè, *operator*, incognitâ cauſâ, rationem *operationis* neſciat. Hinc enim antiqua illa querela, de experimentis dubiè ſuccedentibus, ob nullam ſcilicet aliam rationem, niſi quòd *operator*, cauſas ſuarum *operationum* ignoraverit, etſi facilè in reiteratione operationum, una vel altera circumſtantia addita vel omiſſa, totam ſuam alterationem *operarint*. Nam ſicut in Jure Civili dicunt: *quòd minima circumſtantia jus variet*; ita certè in chymicis *operationibus*, vel *minima circumſtantia, totam operationem*, *& proceſſum* immutare poteſt: e.g. *ſi vel circa ignis adminiſtrationem*; *vel vaſorum proportionem*, *& materiam; vel materialium ſive ſubjectorum tractandorum*

*rum genus & ſpeciem; imò ſi vel in ſolo ordine, vel doſi, vel tempore miſcendorum, fundendorum, vel deſtillandorum ſubjectorum erres, illicò totum curſum iſtius operationis varies.* Ut itaque *operationum*, in hoc noſtro Laboratorio portatili non modò enchiriſin, verùm etiam rationes & cauſas addiſcatis & ſciatis, placuit in ſequentibus, *SOLIDAM QUANDAM METHODUM SPAGYRICAM* heic ſubnectere, *verè Philoſophicam, mihique hactenus ſemper ſecretam.* Verùm jam præſentis vitæ pertæſus, aurea aliis ſecula non invideo, nec gratiam Dei mihi conceſſam, mecum extingui, ſed Societati noſtræ Pſychoſophicæ communicare volui; *Certius ſum autem, à nullo mortaliũ quod ego quidem ſciam, materiã hanc tàm fideliter, tàm ſuccinctè, tam ſolide & clarè traditum eſſe.*

Nunc ad propoſitum deveniamus; Quemadmodum *Grammatici octo partes Orationis* habent; ita quoque *Chymici* vel *Spagyrici octo principaliter reſpiciunt*; nempè *SOLUTIONEM & COAGULATIONEM*, unde corporum vel *SEPARATIO*, vel *MIXTIO*, & exinde *ALTERATIO*, vel *TRANSMUTATIO*; unde accidentium vel ipſius formæ, nova *FIGURA* vel *SPECIES*. Singulas *operationes* ſpecialiter expendemus.

I. *SOLUTIO* opponitur *Soliditati*, quæ triplex eſt; primò *dura*, vel *mollis*, ut chalybs & Aurum; ſecundò, *compacta* vel *poroſa*, ut aurum & ſtannum; tertiò; *extenſibilis* vel *friabilis*, ut aurum & antimoniũ. Ubi te ſtudiosè notare velim, non verum eſſe, quod hactenus creditum eſt: *gravitatem, & duritiem nempe procedere ex compactura.* Nam etſi aurum *graviſſimum* ſit, non tamen eſt vel *compactiſſimum* vel *duriſſimum*: ſic chalybs licet inter metalla

ſit

Digitized by

ſit duriſſimus, non tamen eſt compactiſſimus; & adamas licèt ſit compactiſſimus, ita etiam, ut ajunt, quòd magnetis effluvia non transmittat, non tamen eſt *graviſſimus*.

Sed & ipſa SOLUTIO triplex eſt; *primò Solutio continui*, quæ fit vel trituratione, concluſione, cæſura, vel aquis còrroſivis, ut in Aqua forti. Vocatur ideò ſolutio continui, quoniam corpus conſideratur integrũ. Jam ſi animali pedem amputes, aut os frangas, vel vegetabili corticem detrahas, vel metallum limâ in ſcobem redigas, aut aquâ forti corrodas; ſi lapidem in pulverem contundas, vocatur *ſolutio continui*, reſpectu ſcilicet prioris ſuæ integritatis, quantitatis, proportionis & ſituationis. *Secundò Solutio partium* vocatur, cum partes ſeparantur: ut cum ex vino ſpiritus deſtillantur. Hæc operatio fit ordinariè per fermentationem, vel extractionem, etiam deſtillationem & ſublimationem. In animalibus & vegetabilibus *facilis*, in metallis è contra *difficilis*, licet valdè neceſſaria à Gebero commendetur. *Tertiò Solutio totius* eſt, cum corpus prorſus diſſolvitur, & in elementa ſua redigitur, ut fit in putrefactione, combuſtione, calcinatione, &c.

II. COAGULATIO opponitur *liquiditati*, quæ triplex eſt, *Aquea*, ut mare; *Ignea*, ut metalla fuſa; T*errea* pinguis, ut oleum & argentum vivum. Sed & ipſa *COAGULATIO* triplex eſt; *aliqua* enim fluunt in igne & coagulantur, conſiſtunt ſeu coagulantur extra ignem, ut metalla; *aliqua* congelantur in igne & fluunt extra ignem, ut ſalia alcalia; *aliqua* verò fluunt in igne, & extra ignem, ut oleum ſalis Armoniaci fixi, vide Claveum de oleo incombuſtibili. Jam ſicut SOLUTIO fit per *rarefactionem*,

Digitized by Google

*ctionem*, & *interpoſition em atomorum*, ſeu corpuſculorum igneorum, aëreorum, aqueorum; unde ſolida fiunt liquidá; ità *COAGULATIO* contingit, per *condenſationem*, *conſtrictionem*, & *excluſionem atomorum*, ſeu corpuſculorum igneorum, aëreorum, aqueorum. Et ut *PROPRIUM INSTRUMENTUM SOLUTIONIS CALOR* eſt, quia rarefacit & diſtendit; ita *PROPRIUM INSTRUMENTUM COAGULATIONIS FRIGUS* eſt, quòd condenſat & conſtringit, quod in glacie videmus, quanquam per accidens hæc inſtrumenta ſic immutari poſſint, ut etiam aliàs, contra naturam, unum alterius vices ſupleat. Sic enim intenſius frigus quoque ignis inſtar diſſolvit & comburit, & è contra calor aquam evaporat, & conſequenter coagulat & ſiccat, non per ſe, ſed, ut dixi, per accidens.

Porrò *gradus SOLUTIONIS ET COAGULATIONIS* conſiderandi ſunt.

Dantur enim in prædicta triplici *SOLUTIONE ET COAGULATIONE* varii *gradus*, quorum tamen *extremitates* tantum *duæ* ſunt: nempe *ſumma vel rarefactio*, *vel condenſatio*, inde *vel ſumma ſubtilitas*, & *volatilitas*, vel *ſumma ſoliditas & fixitas*, vel *ſumma gravitas & levitas*. Heic loci rurſus, ſicut ſub finem primi puncti, te ſtudiosè notare velim duo; primò *non ſemper ſequi*, *graviſſimum etiam eſſe fixiſſimum*. Argentum enim vivum eſt inter graviſſima, & tamen in igne, inter volatiliſſima; ſecundò *nec ſequi*, *fixiſſimum eſſe groſſiſſimum & compactiſſimum*. Poteſt enim dari corpus fixiſſimum, quod tamen etiam ſit ſubtiliſſimum & penetrantiſſimum, nempè fixum ſubtile, quod *Hermes & Thomas*



Digitized by Google

*mas de Aquino* de Tinctura ſeu Lapide Philoſophorum aſſerunt.

III. Ex præfatis *Solutionibus* & *Coagulationibus* oriuntur quoque variæ *SEPARATIONES* & *MIXTIONES*, de quibus jam agemus. *SEPARATIO* itaque opponitur *conjunctioni* & *mixtioni*, de qua in ſequenti puncto latiùs. Heic loci tantùm hac de *mixtione* adducam (ut naturam *SEPARATIONIS*, de qua heic acturi ſumus, eò faciliùs intelligatis) quòd in particularum homogenearum & heterogenearum, ſeu partium ſimilium & diſſimilium commixtione conſiſtat. Et hoc fit triplici modo: 1. Vel *per juxtapoſitionem localem*, ut ſi aurum cum argento confundas, vocaturque *mixtio quantitativa*; 2. Per *actionem*, *reactionem*, *magnetiſmum*; ut cum ſicca appetunt humida, ut ſi ſtannum cum cupro, vel argentum cum ferro, hæc *mixtio* vocatur *compoſita*. 3. *Per texturam corpuſculorum*, quatenus ſunt atomi figurati & angulati, juxta doctrinam Carteſii; ut ſi argentum vivum currens coaguletur per vaporem plumbi; vel ſi fiat cinabrium præcipitatum, ſublimatum vel corpus ſolidum, prorſus alterius figuræ, texturæ, ſaporis, caloris, facultatis. Hæc *mixtura* vocatur *decompoſitio*, ſive etiam *ſuperdecompoſitum*, cum ex duobus decompoſitis tertium reſultat; ut butyrum & cinabrium antimonii, Sacharum Saturniale. Habebis itaque tres mixtionis præcipuos gradus, nempè *juxtapoſitionem*, *compoſitionem* & *decompoſitionem*. Juxta has tres ergò mixtionis ſpecies varii quoque oriuntur gradus compagiei, ejuſque ſeparationis. Nam quæ corpora tantùm per *juxtapoſitionem* cohærent, & mixta ſunt, licèt multùm ſint homogenea, ſi tamen vel in minimo accidente

dente differant, facilè ſeparantur: ut aurum mixtum argento, etſi omnes ejus atomos penetret, ut in minimo ejus corpuſculo etiam ej9 portio reperiatur, quoniam tamen aquam fortem ſuſtinet, ☉ è contra non facilè integrè ſeparatur ab eo. Idem de *tertiâ mixtione* ſentiendum, quæ *decompoſitio* vel *ſuperdecompoſitum* vocatur. Illa enim, quoniam ſupertextura tantùm eſt, facilè quoque diſſolvitur; ut in ſublimato, cinabrio, ſmegmate videmus. Sed quæ ex *ſecunda ſpecie mixtionis* oriuntur, quæ *compoſitio* vocatur, proceditq; ex *magnetiſmo* humidi & ſicci, calidi & frigidi, alcali & acidi, illa difficiliùs ſeparantur; ut vitrum, orichalcum, bronzo, variæque aliæ mixturæ & compoſitiones. Cohærent enim arctiùs. Oportet itaq; ſpagyrum eò diligentiùs & prudentiùs, in operationibus ſuis reflectere. His præmiſſis ipſos ſeparationis ſeu ſpagyrices gradus exponemus, qui quatuor quidem ſunt. Nempè 1. *ſeparatio, ratione gravitatis & levitatis*. 2. *ratione fixitatis & volatilitatis, groſſitiei & ſubtilitatis*. 3. *ratione ſymboliſationis, cum menſtruis vel ſolventibus*. 4. *ratione homogeneitatis & heterogeneitatis*.

Primò *SEPARATIO, RATIONE GRAVITATIS ET LEVITATIS*, fit quidem generaliter uno modo; ut nempè corpus optimè attenuetur & in atomos redigatur, tum vel aquâ communi ſufficiente diluatur; etſi *opus fuerit, graviorem partem eligere*, uti in mineris, ut ſeligantur illa metalla; etiam per fuſionem antimonii gravitatem ſuam exponit in regulo, quoniam antimonium eſt corpus ſubtiliſſimum, aquæ communis inſtar fluens & facilè demittens quicquid grave eſt; ſic aurum ſeparatur ab argento, ope fuſionis, etiam alia metalla, quæ non

habent

Digitized by Google

habent texturam craſſam & pulmentoſam (ut ferrum) diutinâ fuſione id faciunt, ut ſtannum, plumbum, quorum inferior regulus, ſive conus ſuperiore ſuperficie ſemper gravior & ditior repertus eſt. Mercurius quoque ſive argentum vivum ſeparat metalla in digeſtione, ratione ſuæ gravitatis, *vide Mineram meam arenariam, ſub titulo clavei mineræ, nec non Alexandrum à Suchten.* Quodſi verò *opus fuerit leviorem & ſubtiliorem partem eligere,* tunc quæ in aqua reſident, vel ei, aut Mercurio innatant, ſeligenda, & ſanè ſi *decantatus ille liquor Alcaeſt aliàs in rerum natura ſit,* non aliter deprehendetur ſolvere, niſi reſpectu gravitatis & levitatis. Novi optimam methodum, ex hoc primo genere ſeparationis, ex vegetabilib9 & mineralibus ſubtiliſſimas partes ſine ulla deſtillatione ſeparare, cujus memini in ſupplemento meo tertio in Phyſicam meam ſubterraneam. Res ſanè utilis eſt, proficua atque ingenioſa, tàm ad Medicinam, quàm ad Alchymiam, verſaturque ſolummodò in eo, ut loco aquæ communis, aliam ſubtiliorem, & convenientiorem magiſque ſeparantem adhibeat.

Secundò *SEPARATIO, QUAE FIT RATIONE FIXITATIS ET VOLATILITATIS, GROSSITIEI ET SUBTILITATIS,* fit quoque uno generali modo; ſive per *ſublimationem*; ſive per *deſtillationem*, quæ ſpecies ſublimationis eſt; ſive in *forma liquida*, ut ſpiritus; ſive in *formâ ſiccâ*, ut flores; quam *Geber* tantùm commendat. Separantur enim hoc modo partes ſubtiliores à terreſtribus, ſubtile à groſſo. Magna autem res eſt, ut *Hermes* & *Geber* teſtantur, poſſe *fixum reddere volatile, groſſum tenue*: producuntur enim ſubjecta, quinto,

D 2 ſexto

ſexto reliquisque ſequentibus punctis viam præparantia, de quâ materiâ latiùs ſub finem ſequentis puncti de mixtione.

*Tertiò* SEPARATIO, QUÆ FIT RATIONE SYMBOLISATIONIS CUM MENSTRUIS VEL SOLVENTIBUS, extractio propriè vocatur; ubi nempè ſolventia, ſeu ſeparantia eadem ſunt cum ſolvendis, vel ſeparandis; id eſt, ejusdem cum illis naturæ, tantummodò in eo differunt, quòd ſint rarefacta; non ſaturata ſimul ad ſatietatem. Nempè ex *alieno* corpore repetunt, quod de *proprio* perdiderunt, ſatiata poſtea per præcipitationem reddunt ſubtiliata, & de propriâ ſymbolizante ſubſtantiâ nonnihil addita; quod in magiſteriis ſolidis & in extractis liquidis videmus. *Urinoſa* enim aliter, quàm *ſalſa*, & hæc aliter, quàm *nitroſa*, & hæc aliter, quàm *acida*, & hæc aliter quàm *oleoſa*, & hæc aliter, quàm *alcaliſata*, quæcunque corpora ſolvunt, ſuumque ſimile ex illis ſeparant. Quodſi quis naturam & temperaturam ſolventium vel ſeparantium, tàm in viâ liquidâ, quàm ſolidâ, juxta gradus ſuos, ſciverit, ejusque permutationem, magnum gradum ſtudii Spagyrici abſolvit, e.g. *aqua fortis ſolvit argentum, & non aurum*; *aqua regis aurum, & non argentum*; poteſt tamen dari permutatio, ut unum utrumque ſolvat. Sic de ſale, de nitro, de Spiritu therebentini, vini, panis, multa diſcenda eſſent, ſed quoniam antehac, Concordantiam ſcripſi de Menſtruis & *Dn. VVeidenfeld* Germanus heic in Anglia multum laboris circa hanc materiam, ſicut & *D. Boyleus* impendit, in hoc compendio huic materiæ meritò ſuperſedeo, aliàs ampliſſimæ & maximè neceſſariæ. Provoco tamen

tamen, circa hanc materiã, ad Phyſicæ meæ ſubterraneæ priores Sectiones, de principiis ſymbolizantib9.

Quartò SEPARATIO, QUÆ FIT RATIONE HOMOGENEITATIS ET HETEROGENEITATIS, in animalibus & vegetabilibus manuum *ſeparatione* ac *ſelectione* ac *purgatione* fit, *mineralia fuſione* ſeparantur à ſcoreis, *liquores decantatione*. Sed *metalla*, etſi nobis primâ purgatione à minera homogenea pareant, ex partibus adhuc heterogeneis conſtare experientia, nempe ſecunda & tertia ſeparatio (quæ veri Spagyri eſt, & cujus in ſupplemento tertio memini) demonſtrat.

Nunc ſicut in antecedentibus demonſtravi, ſolutionem nova mixta producere, ita heic loci ſciendum eſt, ſeparationem itidem facere, ſed quoniam in hoc puncto (quod verum Spagyrum concernit) jam nimis largus fui, remitto me ad ſequens punctum de mixtione, & ſic concludo.

IV. MIXTIO, de qua jam in antecedente puncto actum nonnihil, & *Claveus* latius, eſt ſanè *una præcipuarum totius orbis operationum*. Nam ſi ſuper- & præternaturalem heic excipias, puta concurſum divinæ omnipotentiæ & providentiæ cum anima humana, & mundo, Dei incarnatione, ſolis ſiderumque influxus, & magnetiſmos, certè purè Phyſica conſiderando, ſola MIXTIO eſt, quæ globum hunc noſtrum terreſtrem cum contentis ſuis conſervat. Nunc ſi juxta tres gradus mixtionis rem conſiderare velimus, quæſo in reſpectu JUXTAPOSITIONIS, quid aliud agit tota opificum, tinctorum pharmacopæorumque præcipua ars, quàm ut juxtaponant, combinent, miſceant, conjungant, aſſocient. Porrò circa COMPOSITIONEM,

nonne tota *animalium generatio*, *plantarum vegetatio*, *mineraliumque accretio* ei locum debet? Denique in *DECOMPOSITIONE*, nonne in *regno animali* inſitiones cornuum ſerici? (vid. *Borellus.*) Æthiopes cum albis, aſinos cum mulis, aliaque monſtra, ex promiſcuo coitu, prodire videmus; in *vegetabili regno* indies ob oculos verſatur inoculatio, & transplantatio varia; in *regno minerali* quis ignorat, quot metallorum confuſiones, & decompoſitiones dentur, ut orichalcum, &c. & tàm naturâ, quàm arte producta ſuperdecompoſita, ut vitriolum, cinnabrium ſublimatum, arſenicum, auripigmentum. Sed his præmiſſis ſpecialia quædam conſiderabimus. Nempè, quòd, ante omnia, ad naturam miſcibilium, vel miſcendorum reflectendum ſit. In quibusdam enim diverſa requiruntur: e. g. in JUXTAPOSITIONE *homogenea* deſiderantur, quæ ſibi non ſunt contraria, *mixtionemque* ob nonnullam accidentium ſimilitudinem admittant: ut *auri fuſio cum argento*; *ſtanni cum plumbo*; *argenti cum cupro.* In COMPOSITIONE verò *contraria* requiruntur, nempè, ut ſicca opponantur humidis, frigida calidis, denſa raris, alcalia acidis; ut videmus in ſmegmate, vitro, ſale Armoniaco, &c. In DECOMPOSITIONE verò *nec homogenea*, *nec contraria*, ſed *alterantia* requiruntur, quæ novum tertium, nempè novam texturam producant, prouti in ceruſſa, viridi æris, vitriolo, ſaccharo Saturni aliisque perſpicimus. Etiam metalla omnia aſſumunt decompoſitiones, ſi quis eorum elementa ſymbolica ſciat, *de quibus Monte-Snyders in tractatu de Auro Potabili.* Nam ſicut *primò* ſeparari poſſunt à minera ſua, *deinde* unum ab altero, *tertiò* unum-

unumquodque adhuc à ſe ipſo(e. g. ſtannum,ferrum, aurum, cuprum adhuc utcunque refixata in partes heterogeneas ſeparari poſſunt) ita arte ſuſcipiunt etiam novas decompoſitiones ex triplici terra, *de qua in Phyſica mea ſubterranea, ejusque ſupplementis toties actum.* Longum nimis foret per omnia tria regna exempla producere; hoc tantùm addam: Si in omni triplici mixtionis gradu, nempè *juxta-poſitionis, compoſitionis & decompoſitionis*, perfecta ſymmetria, nempè recenſita tria requiſita conveniant, eventurum mixtum aliquod valdè forte, & quaſi inexterminabile & indiſſolubile. Verùm ne Lectorem exemplo deſtituam, adducam vitri mixturam, adeò conſtantem, ut quaſi nullo elemento diſſolubilis ſit. Hæcq; eſt ratio, quòd ejus mixtura in omni triplici mixtione conveniat. Nam PRIMO in JUXTAPOSITIONE arena eſt terra diaphana, fuſilis; & terra, quæ eſt in cineribus, vel ſale alcali, quoque eſt talis, *prout in Phyſica mea ſubterranea demonſtravi.* Eſt nempè terra primi generis. Conveniunt itaq; optimè circa *juxtapoſitionem.* SECUNDO RATIONE COMPOSITIONIS certè acidū, quod arenæ vel ſilicibus ineſt, agit cum magna efferveſcentia in alcali, unde prima conjunctione, in igne, vitreæ maſſæ intumeſcentia. Agunt enim in ſe invicem ratione humidi & ſicci, quæ *reactio ſola genuina cauſa veræ mixtionis eſt*; nempè, ut ex duob9 contrariis oriatur tertium ſymbolicū acquieſcens in ſuo termino. TERTIO RATIONE DECOMPOSITIONIS certum eſt, vitrum multa in *decompoſitionem* aſſumere. In Phyſica mea ſubterranea demonſtravi, *in regno animali* oſſa etiam humana aliaq; in vitrum pulcherrimū, opali inſtar, cū vitro mixta abire. In *regno vegetabili* certū eſt,

cineres herbarum facillimè cum vitro in vitrum abire. *In regno minerali*, quis neſcit, omnia metalla, cum vitro, in vitrum abire, idque vario colore tingere? verùm enim verò iſtæ Species, præſertim ſoda, alcali vel vitrum, quæ vitro vel vitrificationi addi ſolent, plurimos debent habere atomos figuræ ſymbolizantis cum atomis, ſeu corpuſculis angulatis arenæ, vel ſilicum, ut corpuſcula hæc, dum conveniunt, ſic inhumentur & contexantur, ut corpus producant diaphanum, in igne flexile, extenſile, inflaabile, in frigore ſolidum; nempe texturam novi cujusdam generis, quod vitrum vocamus. Nunc hoc adhuc addam, quòd licèt vitrum adeò fortis texturæ ſit, ut nulli elemento cedat, ſi tamen per *ſuperdecompoſitionem*, ei ſal alcali addatur, extra convenientem proportionem, tum igne urgeatur, ut maſſa colliqueſcat, deinde aëri humido exponatur, reſolvetur in liquorem (*unde Glauberi liquor ſilicũ*) qui facilè diluibilis & præcipitabilis eſt, ut arenam vel ſilices in ſubtiliſſimis atomis vel albis corpuſculis dejiciat, & ex mixto & texturâ ſecernat. Quodſi jam in reliquis ſubjectis & mixtis, eandem analogiam corpuſculorum miſcendorum, juxta tres gradus, nempè *juxta-poſitionem*, *compoſitionem* & *decompoſitionem*, vel ſciremus vel obſervaremus, alia naturalia ſubtiliora, & Philoſophica, & non tàm inepta, incongrua, monſtroſa, mixta (de quibus illud Horatii: Humano capiti cervicem pictor equinam jungere ſi vellet, &c.) produceremus. Verùm ne & heic loci Spagyricis exemplo deſim, ingenuè fatebor, me poſt tot labores, ſumtus & annos, ſpeculationes & experientias, nihil in Alchymiâ ferè veri vidiſſe, circa metalla puto (nam de animalibus & vege-

vegetabilibus heic loci agere, leges compendii excederet, horumque corporum mixtiones notiores ſunt, quàm metallorum; Unde me Lectori eò majorem gratiam facturum ſpero, ſi quod obſcurum magis eſt, elucidem) præterquam *tres operationes*, quæ verè Spagyricæ ſunt & Philoſophicæ, nempè naturæ convenientes, proinde etiam ſpagyricum nunquam fallunt, ſimul nempè & poſſibilitatem, & Veritatem, & utilitatem in Phyſicis, & pulchrum typum, ſeu exemplum in Metaphyſicis & Theologicis demonſtrantes.

PRIMO VITRIFICATIO METALLORUM, ſive cum vitro communi, ſive cum vitro Saturni. *Hæc operatio eſt ſpecies lotionis*: vitrum enim ſcoreas combuſtibiles aliàs imbibit, partem Mercurialem verò metalli purificat & conſervat. Quodſi deinde reducatur, nempe ſecernatur à vitro, (quod artis eſt) metallum invenies multùm in perfectione ſua profeciſſe. Quæ operatio nec ſumtuoſa nec longa eſt, ſed paucarum horarum ſpatio in noſtro furnulo peragi poteſt, meliùs quàm in ullo furno venti, ubi crucibulum non introſpicere potes, quod circa hunc laborem continuò requiritur.

Porrò *operatio hæc* (ſcil. VITRIFICATIO METALLORUM) *Species regenerationis eſt*. Silices enim & arena ſunt matrix metallorum, in quibus mineralia nata ſunt & obſtetricibus flammis, in fuſione ab inde, nempe à ſcoreis liberantur. Quodſi ſæpe contingat, intrare in uterum matris, & poſtmodum regenerari, maturabitur & perficietur fœtus, in regiam tandem prolem; vel ut Iſaacus Hollandus, de Amauſis, & Paracelſus de Spirituum conjuratione in Chryſtallo (metallorum tinctura in *vi-*

*trificatione* apparet) ſcribit: *oportere corpus clarificare*; vel, ut Democritus ait, *pharmaco ignito denſi corporis umbram ſpoliare*; ſic enim & globus noſter terreſtris aliquando igne clarificabitur, & novam induet ſpeciem. Verùm de his plura in Alphabetho meo Pſychoſophico. Poſſem pulcherrimum catalogum experimentorum & obſervationum, circa hanc operationem, apponere, ſed Lectori longus nimis ero, ſpectantque talia experimenta ad noſtros Pſychoſophos. Qui noſtrum Scyphum, ſeu hunc Furnulum non habet, ne incipiat; nam nihil operabitur boni. Cæterùm Glauberus multa de vitrificatione ſcripſit; ille vas deſiderat ignem ferens, alii furnum deſiderant; ſed ſi utrumque haberent, & reductionem ignorarent, vanus eſſet totus illorum labor. Quid juvat lavare, ſi non ampliùs poſſis ſiccare? quid juvat regenerare, ſi non ampliùs poſſis recorporare? quid juvat clarificare, ſi non amplius poſſis ad ſoliditatem reducere? Plura vide in ſupplemento meo tertio ſeu Minera Arenaria.

SECUNDA OPERATIO EST CALCINATIO METALLORUM ſive *trituratione* (quam veteres calcinationem manuum vocabant) ſive aquis corroſivis, *maceratione*, ſive ſalibus, ſive ſulphuribus, *cæmentatione*, ſive igne aperto & flammarum reverberio illa contingat, CALCINATIO nominanda eſt, in noſtro Laboratorio Portatili facillimè & commodiſſimè practicabilis. Hæc operatio, quæ plurimùm à Gebero commendatur, adurit, & conſumit Sulphur φλογιϛὸν metallorum, quod mortificat, ut ſeparari queat, ſed ſicut in antecedente operatione, corpora opaca metallica in *diaphanam & translucentem*

*centem terram*, nempe VITRUM, convertebantur; ita heic loci tandem (rectè inſtitutâ *calcinatione & mortificatione*) in *congelatam*, *diaphanam*, *& translucentem aquam*, SALEM nempe vitriolatum mutantur, purificantur, & ſæpius ſolvendo ac coagulando penetrantur & perficiuntur. Quod qui ſcit & vidit, pariter mecum atteſtari poterit. Vide meam Concordantiam Menſtruorum. Sed quod Baſilius ait, quòd in capite mortuo, ſeu oſſibus mortuis, adhuc theſaurus lateat; quod Suchten ſcoreas ſervare jubeat; quod Hermes dicat, potentiam ejus perfectam eſſe, ſi in terram mutetur; id attendite, præſertim Clavei Tractatum de ratione progignendi lapidem Philoſophorum & triplici præparatione auri, qui omnium ſinceriſſimè ſcripſit. Certè *qui metalla quæcunque, ſive in via liquida, ſive ſicca, per ſe, vel per addita ſcit calcinare*, ut vel metalla aliqua corpuſcula ſymbolica, ex menſtruis, ſeu ſubjectis calcinantibus attrahant, (ut in luna cornua & vitriolo videmus) vel menſtruis, ſeu ſubjectis calcinantibus, aliquid de ſuis corpuſculis ſymboliſantibus communicent, (ut Chryſtalli Lunæ in ſpiritu nitri, ſolutio cupri vel auri in ſale mirabili, Elementa Magica Monte-Snyders) qui ſcit inquam hoc novum mixtum poſteà reducere, (e. g. frequentem vitrioliſationem vitrioliique reductionem metallicam, vel ſolutionem metalli in menſtruo, frequenti abſtractione ac cohobatione & ſolutione per deliquium atque purificatione) *inveniet aliud corpus, nempè perfectius*. Nam *ſicut in antecedente operatione, vitrum, ſeu arena agebat in metalla, quoniam illorum matrix, corpus ſeu ſal eſt*; ita *heic loci*

*Sulphu-*

*Sulphurea corpuſcula, latentia vel in corroſivis, vel in ſalibus, vel in ſulphuribus, vel in igne ipſo, ſunt anima metallorum, aguntque in illa ſymbolicè & ſympatheticè multò fortius & ſubtiliùs, quàm in præcedenti operatione.* Cœterùm pro concluſione hujus operationis vellem, ut id in Phyſicis obſervetur, quod Chriſtus Dominus & Salvator noſter in Spiritualibus Nicodemo dixerit: *Amen dico tibi, niſi quis ex aqua & ſpiritu regeneretur, non intrabit regnum cœlorum, ſc. non perficietur nec glorificabitur.*

TERTIA OPERATIO MERCURIFICATIO *eſt*, ſive *amalgamationis* ope cum Mercurio communi, ſive *Sublimatione* Gebriana ſive *reſuſcitatione* & *revificatione*, per menſtrua, fiat, (de quibus operationibus in minera mea Arenaria, titulo Lulliana & Claveana, item in mea Concordantia MercuriiLunæ)eaq; neceſſaria eſt,ob corporum metallicorum ſubtiliationem & penetrationem acquirendam. Nam ſicut *prima antecedens operatio* corpora metallica homogenea reddit; *ſecunda operatio* verò mundificat, & clarificat; ita *tertia hæc operatio* metalla ſubtilia penetrantia reddit. *Omnis autem intima penetratio* (ut Philoſophus ait) *eſt vera corporis tranſmutatio.* In *prima* antecedente *operatione*, corpora metallica, in diaphanam terram reducuntur; in *ſecunda operatione*, in aquam vel ſalem clariſſimum; in *hac tertia operatione* verò metallica corpora reducuntur in aërem, ſeu ſpiritum tenuiſſimum; quod fit ratione ſuperdecompoſitionis, vel per mercurium communem in amalgamatione, trituratione, lotione, digeſtione & cohobatione frequenti. Separationem partium in metallis facit, terram illorum ejicit, reliquum in Mercurium convertit;

tit vel per addita menſtrua, plena atomis Mercurialibus: ut ſunt urinoſa omnia, de quibus ſub finem Supplementi mei ſecundi, & in mea Concordantia Mercurii Lunæ; vel per ſolam Gebrianam Sublimationem, ſeparando terreas partes à Mercurialibus. Quæ omnes operationes commodiſſimè in furnulo noſtro, nec ſanè ſine illo perfici poſſunt. Ipſe Mercurius, ſic tractatus, non modò generat aurum in metallis, vide Spplementum in Phyſicam meam ſubterraneam, inibique contentas literas, verùm etiam, per reactionem, quam patitur cum metallis (vitriolizat enim illa, per ſe, ſine ulla additione, unde ſulphuris vices ſupplere certum eſt) dejicit ſuum ſulphur arſenicale, fitque homogeneus; ut poſtea Spiritus vini inſtar volatilis, fixabilis, nunquam præcipitabilis ſit. Quod expertus ſcribo; *Sicut ergo in precedente ſecundo puncto, metalla ex AQVA regenerata ſunt, ita hic ex SPIRITV regenerantur, qui eſt Mercurius.*

Habetis hic *tres principaliſſimas operationes*, quas ego quidem in metallicis, juxta curſum naturæ, ratione & experientia reperire potui, quem Deus quoque in ſpiritualibus obſervat; nempe *mortificationem*, *regenerationem*, *clarificationem*; ſic anima noſtra cum corpore; ſic totus denique orbis tractabitur. Unde non immeritò David, Pſalmo 102. Et *ſicut operatorium mutabis eos, & mutabuntur.*

Nunc ſupereſt IV. quod ſub finem antecedentis puncti tertii promiſi, nempe demonſtrare; quæ nova mixta ex ſeparatione & mixtione oriantur; ſed quoniam punctum hoc, præter opinionem, jam mole ſua excrevit, ad ſequens punctum hanc materiam conferam, ubi quoque magis quadrare videtur. Sequitur ergò. V. *ALTE-*

Digitized by Google

V. ALTERATIO. Quemadmodum ex *ſolutione & coagulatione* variæ *ſeparationes & mixtiones* procedunt; ita ab his rurſus varias *alterationes*, & *transmutationes* cauſari extra dubium eſt. Proverbium eſt aliàs: *Ignis & tempus omnia tollunt*; quod de ſolutione, & coagulatione; item de ſeparatione & mixtione, optimo jure, Phyſicè dici poteſt. Illæ enim operationes fixa reddunt volatilia, groſſa ſubtilia, rara denſa, dulcia acida, gravia levia, immutant colores, odores, ſapores, quantitatem, qualitatem, circumſcriptionem continentis & contenti, putrefaciunt, fermentant, liquefaciunt, producunt novas ſpecies, quæ non fuere; ut alcali fuligo, carbones, vitrum, ſal volatile, ſpiritus ardentes, aceta & ſexcenta alia, quæ actualiter nunquam in mixtis fuere, niſi arte Spagyrica producantur. Hinc tanta principiorum Chymicorum varietas & incertitudo, (Vide Dn. Boylei Chymiſtam ſcepticum) quod tamen nulli in admirationem veniat. Nam ſi meum ſupplementum quartum leget, cauſam tantæ varietatis clarè perſpiciet. Proindè illuc provoco, & cramben bis coctam vobis non reponam. Præſertim ſi penitius conſiderare velitis, quid magna tria illa inſtrumenta poſſint; 1. *Trituratio ſeu contuſio.* 2. *Digeſtio, quæ fermentationem, & putrefactionem complectitur.* 3. *Ignis denique, cum liquefactione, & calcinatione.* Quibus tribus ſanè operationibus inſtrumentalibus, corpuſcula transponuntur, ſic neceſſariò extra texturam ſuam alterantur. (Omnia in furno noſtro facillimè præparabilia.) Quæ ſi quis neget, eâdem ratione omnes totius orbis alterationes Phyſicas negabit, quæ adeò manifeſtæ, & neceſſariæ ſunt, ut ſine his orbis ſubſiſtere nequeat, qui totus ex activorum & paſſivo-

paſſivorum mixtione, reactione atque inde reſultante alteratione conſiſtit.

VI. TRANSMUTATIO. Multi *accidentium* quidem *alterationem* admittere coguntur, manifeſtâ ratione & experientiâ convicti; *veram* verò *formæ eſſentialis transmutationem* obinde negant. Verùm illam tantùm perfici, vel produci ajunt: ut ovi in pullum; alimenti in ſanguinem & carnem; aquæ pluvialis & terræ in pulpam & fructus vegetabilium; *Dn. Scharrock* Anglus in tractatu de Vegetabilibus; *Dn. Robert Boyle* in tractatu de Origine formarum & qualitatum; Cartheſius, Spinoſa aliiq́ue alterius ſunt opinionis. Totaque tandem quæſtio eò coincidit: quòd accidentia, in mixtura vel textura, quædam neceſſariò & primariò alterari debeant, donec texturæ nova eſſentialis denominatio verè fieri poſſit? Sed de his in ſupplemento meo quarto ad ſatietatem. Certè ſi in ullo furno *transmutationis operatio* dextrè inſtitui poterit, heic fiet. Cæterùm *transmutatio* non in Phyſicis modò, ut in Duumviratu demonſtrabitur, in omnibus tribus regnis, manifeſtum & infallibilem locum habet; verùm etiam in ſupernaturalibus. Quid de Lycanthropis cenſendum, conſulatur Divus Auguſtinus. Qui palingeneſin illam puram fabulam eſſe credunt, fortè nonnihil errant. De transſubſtantiatione panis in ſacra Synaxi inferiùs in Duumviratu Hermetico actum. Ipſe quoq; Chriſtus Dn. & Salvator noſter transmutationem approbavit, transmutando aquam in vinum, idq́ue in momento. Quodſi miraculũ eſſe dicas, ideò tibi conceſſero, quia Chriſtus Dn. noſter nihil Phyſici, vel materialis in aquam projecerit; aliàs quoq; fortè naturaliter demonſtrari poſſet, poſſe corpora quædam,

quæ

quæ ſunt liquida homogenea, & partium ſimilarium, ut aqua, argentum vivum, plumbum fuſum, modici pulveris injectione, taliter transmutari, ut in foro civili, & examine Phyſico, verè transmutata eſſe, juxta omnes ſenſus & accidentia fateri cogaris. Sed de hac materia latiùs in Duumviratu inferius agetur.

VII. & VIII. SPECIES ET FIGURA. Prout *ſolutio & coagulatio* producunt *ſeparationes*, & *mixtones*, illæ verò producunt novas *alterationes*, & *transmutationes*; ita hæ neceſſariò novas rerum *ſpecies*, *facies*, *figuras* cauſant, quæ utut ſunt infinitæ quaſi, præſertim in ſalium genere, & figura, ità ab experientia deſumenda ſunt. Theoriâ enim hæc omnia certè definire, idem mihi eſſe videtur, quod Terentius ait: *Incerta hæc, ſi tu poſtules, ratione certa facere, nihilo plus agas, quàm facere des operam, ut cum tione inſanias, &c.* Cœterum Dominus Boyleus, in jam citato tractatu, de Origine Formarum & Qualitatum, inſigne ſpecimen dedit, Carthesio multò ſuperior; praxis verò harum rerum, ſicut dependet ab experientia, ita furnulus noſter indies vobis, tot varias ſpecies, & figuras exhibebit, ut miremini potiùs effectum, quàm cauſam efficientem, ſpecificè explorare poſſitis. Ampliſſimum enim heic mare eſt vobis tranſnavigandum: experientiâ, filum Anadnæum, Cynoſuram & Compaſſum, vobis candidè hiſce dedi, iſta tamen cum conditione, ut ſequamini Riplæi & Richardi Angli monita: nempe, Qui accipit, quæ debet, & operatur ſicut debet, procedit exinde ſicut debet 2. & qui alienis manibus laborat, aliena à Veritate opera videbit: quibus ego uſus, ad optatum portum deveni. Proinde ſpes &

fortu-

fortuna valete; ſat me luſiſtis; ludite nunc alios. Reliqua in ſupplemento quarto Phyſicæ meæ ſubterraneæ, præcipuè in Pſychoſophia, ejusque Alphabetho pſychoſophico continentur. Qui verò circa nonnullas operationes practicas communes ſpecialia deſiderat, præſertim circa mineralium & metallorum tractationem, legat Gabrielis Plattes Angli Theſaurum ſubterraneum, & Borrichii Docimaſticum, quorum poſitiones & probationes, commodiſſimè in furnulo noſtro abſolvi & perfici poſſunt.

Hiſce valete, & ex hoc noſtro Scypho vivite, & bibite vitam & valetudinem animi & corporis ſanitatum & opum, nempè confortativum catholicum.

FINIS.



Digitized by Google

II.

# JOH. JOACHIMI BECHERI,

SPIRENSIS MEDIC. DOCT.

CENTRUM MUNDI CONCATENATUM,

*Seu*

# DUUMVIRATUS HERMETICUS,

*Sive*

MAGNORUM MUNDI DUORUM PRODUCTORUM.

NITRI & SALIS Textura & Anatomia.
AERIS nempè & MARIS Conſideratio.


*Pro* COMMENTARIO

*IN POSTERIORA DUO CAPITA SUPPLEMENTI PRIMI PHYSICAE SUAE SUBTERRANEAE.*

Hermes.

*Quodcunque ſuperius eſt, ſimile eſt ei, quod eſt inferius.*

igitized by Google


CENTRUM MUNDI CŌCATENATUM.
Aurea linea Horizonte
linea Polaris Magnetica
CRUX COMPLETA
PHILOSOPHICA
QUINTA ESSENTIA.

Digitized by Google

*PERILLUSTRI ET GENEROSO*

DOMINO,

# DOMINO JOHANNI VVEILDMANNO,

NOBILI ANGLO ET VIRO PARLAMEMTARIO,

*DOMINO ET PATRONO SUO COLENDISSIMO.*

*Cum (ut in dedicatione Laboratorii Portatilis recenſui) nuperus dejectus Cameræ Cæſareæ Præſes, Comes Ludovicus de Sintzendorff animæ, vitæ & corporis periculum multorumque millium jacturam mihi inferret, aulâ Cæſareâ ſecedere cogeret, reditum arceret, ex Germaniâ in Hollandiam, exinde in Angliam protruderet, nec ibi tutum relinqueret, donec tandem juſto DEI judicio ipſe factus fuerit cum famæ, dignitatum, officiorum & opum publicâ jacturâ dejectus. Tu Vir Nobiliſſime, tunc temporis calamitatis meæ miſertus, ſpontè non auxilio modò pecuniario mihi aſtitiſti, verùm etiam familiaritate & Humanitate Tuâ*

*quaſi Fratrem & ſocium ſuſcepiſti occaſionemq́ fe-ciſti, ut liceret ſtudio & operi Philoſophico liberiùs indulgere. Tu quidem Ipſe cum eousq́ progreſſus fueras in opere Phyſico, ut pulverem primæ rotationis præparatum jam ad manus haberes, unde Tibi ſalem Philoſophorum extraxi, cujus Tibi quoq́ ſigna & probas demonſtravi non ſine admiratione; exiguum tamen id & non tantum erat quantitate ſuâ, ut ſecundæ rotationi applicaretur. Primam verò in majori quantitate repetere, tùm temporis nec mea nec Tua conditio patiebatur; mea quidem, quia in Scotiam mihi eundum erat minerarum causâ pro Principe Ruperto & Duce Lauderdulio; tua verò, quoniam circa nuperum Parlamentum Oxonienſe occupatus & diſtractus fueras. Nunc verò cum me fortuna pilæ inſtar hinc & indè & inter cætera loca in Cornubiam projiceret, ubi inter ipſa mineralia eorumq́ ingentem quantitatem & varietatem illorũ naturam nonnihil accuratiùs juxta Philoſophiam Phyſicæ meæ ſubterraneæ ejusq́ ſupplementorum examinare, inſuper optimo Laboratorio inſtructus practicè quàm plurima experimenta inſtituere cæpi, ſed dum hæc omnia combino, ut in Alphabeto meo Minerali videre potes, ad ſimplicitatem & unitatem recurrere cogor, nempè ad duo magna principia mundi catholica eorumq́ involucra, aërem nempè & mare,* ſcilicet nitrum & ſalem, *vel propriùs loquendo, interiorem illorum eſſentiam & ſanitati &*

*divi-*

*divitiis à bonitate Dei immenſa univerſaliter conſecratam. Quam cum ob abſentiam meam Tibi practicè & experimentaliter jam ob oculos ſiſtere nequeam, theoricè tamen nonnulla heic Tibi expono, lectu non ingrata tibi futura, utpotè qui ſublimibus ſpeculationibus Philoſophicis delectaris, & vulgaria rides, idq; in eum finem, ne exiſtimes me Tui oblitum & beneficiorum in me collatorum immemorem eſſe. Interim tamen nolim, ut opineris me munuſculo hoc cartaceo debitum meum Tibi perſolvere velle, quod longè à me abſit. Hâc tantum dedicatione delineationem lytri, non ipſum lytrum Tibi ſiſtere volui. Si Deus nos rurſus conſociet, quæ reſtant in aurem Tibi dicentur, & ſecretò in manus tradentur. Cum itaq; opuſculo huic dedicatio inſcribenda eſſet, nulli illa convenientiùs offerri poterat, quàm Tibi, tùm ob materiam, tùm ob formam Tuam delectationem & meam obligationem referens, illam ergò ut æqui boniq; conſulas, meq; ut cæpiſti amare pergas, ſubmiſsè rogo,*

*Vale PATRONE digniſſime.*

Scribebam in inſula Vecti ad portum Couſe.

# PRÆFATIO AD LECTORES.

TItulus hujus opuſculi vocatur *CENTRUM MUNDI CONCATENATUM*, ſeu *DUO MAGNA LUMINARIA NATURÆ procedentia ex uno centro & tendentia rurſus ad unum.* Intentio mea eſt ex primis & ſimpliciſſimis principiis demonſtrare primigenia rerum elementa, tum mixta ex his, ex mixtis decompoſita, & ex decompoſitis ſuperdecompoſita. Principalis quoque ſcopus meus eſt, bonitatem DEI exponere & laudare, qui univerſum aërem vitali eſſentiâ inſpiravit, & vaſtiſſimum mare ſtellari elyxire replevit. Quo duplicato beneficio licèt omnes ferè homines gaudeant, *aëre* nempè & *aquâ*, *nitro* ſcilicet & *ſale*, pauciſſimi tamen ſunt, qui ſpecialem reflexionem phyſicam ſuper hæc ſubjecta concipiunt. Ego verò cum in ultimis duobus capitibus ſupplementi primi Phyſicæ meæ ſubterraneæ horum duorum univerſalium productorum mentionem fecerim, & dum brevis eſſe laboravi, nonnullis obſcurus fuerim, neceſſarium eſſe judicavi, ut commentariolo hoc prædicta hæc duo Capita ſupplementi primi illuſtrarem. Thema autem meum in eo conſiſtit, quòd

quòd exiſtimem cum multis præclariſſimis Philoſophis ſolem generatorem *nitri* & *ſalis* eſſe. Nam quantum quidem ſolis radii ad *productionem nitri* faciant, illi ſciunt, qui nitri refinationem & productionem curant; & quantum ſolis radii ad *ſalificationem* faciant, illis quoque notum eſt, qui *ſalem* tractant; utrinque intelligendo, non quòd tantùm calor ſolis, evaporando humiditatem, ſalia hæc producat, ſed quòd reverà ea progeneret, augeat & exaltet. Secundò demonſtrare poſſum, quòd in *nitro lateat terra ſimpliciſſima ſulphurea, in ſale verò Mercurialis*, & quòd hæ duæ terræ conjunctæ figuram crucis roſeæ conſtituant; *generare nempè terram ſalis Mercurialem argentum; terram verò nitri ſulphuream tingere illud in aurum*, quod eſt quinta eſſentia Centri mundi concatenati. Magnetiſmus inter *nitrum* & *ſalem* occultior ſanè eſt, quàm inter ferrum & magnetem, Mercurium & aurum. Verùm qui cauſam unius novit, novit & reliquorum. Profunda ſunt hæc, præſertim de Mercurio & Arſenico Lunæ. Sed de his uberiùs in Alphabetho meo Pſychoſophicó, Alphabetho Minerali & Concordantia Mercurii Lunæ. Expoſui itaque Lectori figuram tituli. Quæ ſcripſi, vera & certa ſunt; & qui viderunt, pariter atteſtari poſſunt mecum. Utrum nonnulli ſtulti curio-

ſi credant, vel non credant, mea parum intereſt, cujus teſtimonium ab æterna Veritate, non à mutabili hominum opinione dependet. Ego Rubiconem tranſivi, & hoc experientiâ didici: *ubicunq; ſol ſplendet, ubicunq; liber aer eſt, ubicunq; aqua ſalſa eſt, ibi hominem Philoſophum ſufficientem ſuum victum comparare poſſe*; imò addam adhuc, quod majus & ignorantibus incredibile eſt, *naturam ſcilicet homini ita ſollicitè de victu proſpexiſſe, ut quilibet homo quolibet die, ſi ſanus ſit, tantum urinæ reddat. Cujus ſubſtantia ſi ritè præparetur & applicetur, pretium valeat alendo iſti pro iſto die, adeò ut dolendum ſit, quòd una gutta urinæ in terram decidat.* Sed quemadmodum donis Dei ſpiritualibus vel abutimur vel negligimus, ita quoq; circa naturalia agimus. Ego nihil aliud hic ſum, quàm vox clamans in deſerto, ut ſi non Philoſophi, ſaltim noſtri Pſychoſophi veritatem ſemel amplectantur, Scholas, nugas & ſophiſtas ſtolidaſque ſocietates deſerant & averſentur. Pauca ſunt, inquit Helmontius, quæ Medicũ nobilitant, & ſanè non nimis pauca, quæ homini alendo ſufficiunt. Quodſi vitam & victum habeamus, nonnè contenti erimus? Quàm verò de his uberrima Mater natura humano generi largiſſimè proſpexerit, in hoc opuſculo exponere volui, in quo nec prolixitatem, nec ſtyli concinnitatem, ſed ſolùm quod ſcopum meum attinet Veritatem obſervare volui. Si in qua re peccavi, in nulla re erit, niſi quòd paucis verbis multa dixerim. Valete.

DU-

# DUUMVIRATUS HERMETICUS.

*Seu*

## COMMENTARIUS IN POSTERIORA DUO CAPITA SUPPLEMENTI PRIMI *PHYSICÆ SUÆ SUBTERRANEÆ.*

HIc Commentarius licèt in poſteriora ſaltem duo capita *Supplementi noſtri primi in Phyſicam Subterraneam* directus ſit, pondere tamen ſuo contentorumque gravitate non poſtremus, ſed juxta communem mortalium ſenſum primus maximèque deſiderabilis eſt. Continet enim ſanitatem & opes, deſideratiſſimam dualitatem ab hominibus; & ut verum fatear, ſine ſanitate & opibus, vix religio, ſcientia & honor benè curantur. Unde veterum votum erat: *Mens ſana in corpore ſano*: & Pſychoſophici ordinis teſſera, ſive Pentalphæ inſcriptio *Hygiaja*; de opibus, nempè de honeſtis & neceſſariis vi-

 vendi

vendi mediis eleganter *Marcellus Palingenius* ſcripſit in Zodiaco vitæ, ſub titulo de Capricorno:

*Nec ſine divitiis fas cuiquam ducere vitam*
*Felicem, heu quàm ſæpe gemit rerum indiga virtus!*
*Quàm contemta jacet, ſi ſacra pecunia deſit!*

Et notum eſt illud tritum:

*Et genus & formam Regina PECUNIA donat.*
*O cives! cives! quærenda PECUNIA primùm,*
*Virtus poſt nummos.*

Enimverò ſi homo ſanitatem, & honeſta neceſſariaque vivendi media habeat, meliùs devotioni, ſtudiis, & virtutib9 exercendis operã dare poterit, quàm ſi dolores morboſi ſenſus communes vexent & perturbent; inſuper moleſta paupertas diu noctuq; curis animum ſollicitet. In cœlo itaque noſtro Pſychoſophico ſanitas & opulentia, meritò tanquàm duo magna luminaria Solis & Lunæ, clarè lucere neque nebulis interturbari & offuſcari debent. *Sicut enim Sol principium eſt vitæ & conſervator omnium rerum; ita ſanitas idem præſtat in corpore noſtro humano; & quemadmodũ Luna cauſa cenſetur fertilitatis & ubertatis; ita opulentia id ipſum apud nos præſtat.* Penultimo itaq; capite ſupplementi mei primi fusè expoſui: quid ſit *ſpiritus ille mundi conſervator, ille Archæus, ille ignis æternus & immortalis, illa lampas inextinguibilis, illud oleũ incombuſtibile, ille fons inexhauſtilis.* Nempè demonſtravi, latere in aëre aliquid, quod omnimodè neceſſariũ eſt ad conſervationem vitæ humanæ, nempè ad ſuſpirationem cordis & ſanguinis; compertũq; habemus experientiâ: aërem ab homine ſemel hauſtum, illo momento, balſamo illo ſpirituali privari & ab homine magneticè attrahi, ita ut aër exſpiratus, ſi ſecunda vice reſpiretur, non ampliùs proſit, homoque

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google




SCHEMA GLOBI TERR=AQUA=AEREI

moque breviſſimè mori deberet, ſi non ſubitò recentem aërem hauriret. Unde illi breviſſimè extinguuntur & ſuffocantur, qui immutantur, vel quibus liber aër præſcinditur. Hoc prævidens ſagaciſſimus *Cornelius Trebbel* (cujus filiam jam ſenem etiamnum *Londini* vidi, maritatam olim cum *Küfflero coloris ſcarletini inventore*) cum navem ſuam conſtrueret, quæ infra aquam progrederetur; quamque proinde ubique locorum probè obturare debebat, & ſi hoſpitibus ſuis liberi aëris pabulum præſcindere cogatur, ſine quo vivere & conſiſtere non poterant diu, ille magno ingenio, hanc aëris eſſentiam concentravit, & contraxit, vitroque incluſit. Quo aperto, in navicula ſua incluſo aëri tantum eſſentiæ rursùs tribuit, quantum voluit, atque hoſpitibus ſuis incluſis ad refocillandum & vivendum neceſſarium judicabat. Sed extrahendi & hunc ſpiritum concentrandi methodum *Cornelius Trebbel* nec monſtravit, nec ullum docuit; nec mihi licet margaritam indifferenter proſternere porcis. Sufficit, quòd coràm toto orbe demonſtraverim, & publicè docuerim, latere in univerſo aëre vitæ & ſanitatis unicum & principalem fomitem, & in univerſo mari, quatenus ſalſum eſt, latere divitiarum, auri præſertim & argenti, principia inexhauſtibili quantitate.

*Bibat, qui poteſt;*
*Lavet, qui vult;*
*Turbet, qui audet.*
*Bibite Fratres & Vivite.*

Vel ut cum pientiſſimo *Imperatore FERDINANDO III.* eloquar eloquium, quod aureo numiſmati tranſmutato inſculpi curavit: *Laudetur Deus in æternum, qui partem infinitæ ſuæ bonitatis,*

*nobis*

*nobis ſuis abjectiſſimis creaturis communicat.* Dixi, in aëre & mari concludi & ſanitatem & opes, imò aſſero, quòd tota elaſtica regio aëris nihil in ſe contineat, ne atomum quidem, vacuum iſtius vivæ eſſentiæ, quam vobis prædixi: & adhuc addo, quòd totum mare, quatenus ſalſum, ne guttam habeat non gravidam eſſentiâ auri atque argenti, prout poſteà largiùs intelligetis. In aëre itaque latet ſpiritus conſervator, & in mari comprehenditur eſſentia ſtellaris, quæ eſt receptaculum, & matrix præcedentis ſpiritûs. Unde Hermes Trismegiſtus in Tabula ſua Smaragdina ait: *Verum eſt, & ab omni mendaciorum involucro remotum, quodcunque ſuperius eſt, ſimile eſt ei, quod eſt inferius. Per hoc perficiuntur opera mirabilia unius rei. Pater ejus ſol eſt, mater luna, ventus in utero portavit, &c.*

Sed nunc video, vos attentos eſſe ad percipiendum ſpecialiùs, quomodo circa hunc duplicatum theſaurum ſanitatis & opum è tenebris & ſiliquis ſuis effodiendum practicè procedendum ſit. Quod quidem faciam, & eò usque progrediar, quò nullus Philoſophorum unquam progreſſus eſt; nempe quantum ſilentium Philoſophicum permittere poteſt. Aliàs *Petrus Lambejus Venetus*, in tractatu ſuo de Spiritu relevato, lectu digna ſcripſit; nec non Nuyſement, & Autor Lucernæ ſalis Philoſophici. Invenietis in majori mea Concordantia, ſub finem partis primæ, nonnulla de hac materia; ſed heic loci, cum ſummo compendio, Bibliothecæ noſtræ Pſychoſophicæ conſulo. In pauca tantùm dicenda redigam: nempe, *latere ſpiritum conſervatorem in forma aërea, in forma aquea, in forma terrea, & in forma ſalina.* Ex *AERE* extrahitur

tur vel inſtrumento quodam, vel attrahitur aliquo magnete. De priori exemplum habemus in epiſtola *Langelotti* de Trituratione. Ubi hic ſpiritus ex aëre extrahitur, aurumque in oleum reſolvit. De poſteriori *Glauberus* multa ſcripſit; de magnete aëreo nonnulla attigi ego in minera mea arenaria de Marcaſita ſive Pyrite, qui in hac ipſa inſula *Vecti*, in qua jam præſens hæc ſcribo, reperitur. Et variis experimentis obſervatum eſt, *liberum aërem, multum ad Mercurificationem facere, præſertim in vitriolo & Antimonio.* Notumque mihi eſt ſubjectum, vulgare quidem, ſed quod *Cornelius Agrippa* ſubjectum omnis mirabilitatis vocat, quod omni momento hunc ſpiritum attrahit; & ſolâ ejus irradiatione omnes ferè morbos cura utpote infinitæ & inexhauſtæ bonitatis & eſſentiæ medicæ. Sed plura de iſto ſubjecto, ſive electro, in Alphabetho noſtro Pſychoſophico. *IN FORMA AQUEA* ſpiritus noſter conſervator quoq; latet, ut in rore, pluvia, &c. Rore quidem extraxit *Borellus* in ſuis obſervationibus in titulo de Auro potabili, ſed, ut paulo ante dixi, ſcribo hæc in inſula *Vecti*, in cujus portum vento projectus ſum, & ubi librorum nihil reperitur. Memini me tamen in *Borello* legiſſe, & ſimile quiddam *Moguntiæ* vidiſſe, ubi *Elector Moguntinus PHILIPPUS A SCHOENBORN* piæ memoriæ, in magna quantitate aquam pluviam colligere, putrefacere, deſtillare & concentrare juſſit. Accepimus ſpiritum fragrantiſſimum ardentem, inſtar ſpiritus vini ſolventem aurum ſine ſtrepitu, quam Solutionem in variis affectibus & caſibus deſperatis propinavimus, & admirandos effectus ſenſimus, de facto. *Celſiſſimus Princeps RUPERTUS* circa ſimilia experi-

perimenta occupatur; ſuggerente *Doctore Helvigio Medico Palatino.* Etiamnum *Londini* claret aurum potabile *Doct. Ottonis Fabri Amici mei chariſſimi*, pro cujus auri potabilis defenſione, quanquam non egeat, hoc tamen his ſpecialiter addam, tanquam rem notatu digniſſimam; nempe poſſe dari *decompoſita* ex mineralium claſſe, quæ componentium Virtutem & Naturam prorſus exuant, novamque induant, prorſus aliam & contrariam, e. g. *Plumbum per ſe nullum habet ſaporem, ſpiritus aceti acidus eſt, non dulcis; attamen cum plumbum, & ſpiritus aceti, debito modo miſceantur, exoritur aliquod mixtum, ſeu decompoſitum, quod Sacharum Saturni vocant, ipſo Sacharo naturali dulcius.* Sic ex *ſpiritu nitri, & argento fit aliquod ſal medium, tàm potentis facultatis diureticæ, ut vix tutò propinari queat*; item, *cùm ſpiritu ſalis argentum induit naturam cornuam, cujus vis medica nec dum nobis ſatis conſtat. Sic Antimonium in ſubſtantia cruda nullam facit ſenſibilem operationem è contra mixtum ſalibus reddi poteſt potentiſſimum vomitivum, purgans & diaphoreticum; quod itidem in argento vivo obſervamus, quod crudum ſumtum nihil ferè præſtat, ſed ſalibus mixtum, mox corroſivum, mox dulce, mox ſalivans, mox diaphoreticum fieri poteſt.* Quæ omnia hactenus recenſita, utut veriſſima & evidentiſſima ſunt, ita maximè confirmant, quæ jam de auri potabilis Virtute & facultate medica in medium proferam. Nempè *licèt aurum crudum in corpore humano vel parùm vel nihil præſtet, attamen ſi cum convenienti quodam ſpiritu ſive ſolventi miſceatur, ut tertium quoddam aliud decompoſitū exinde oriatur, quod aurum potabile vocant, Virtutes & facultates medicæ manifeſtè & potenter in lucē prodi-*

*prodibunt. Obſervavi namque aurum habere magnam vim aſtringentem, corroborantem, alexipharmacam, cordialem.* Verùm de his effectibus legite *Ottonis Fabri* tractatum de Auro potabili *Francofurti* impreſſum; ubi combinationem & comparationem ſui auri potabilis cum *Franciſci Antonii Angli* auro potabili facit. Manifeſtam quoque facultatem videmus in *auro fulminante*; adeò ut certum ſit, metalla, & *præſertim aurum*, licet cruda nullius deprehendantur facultatis medicæ, cum convenientibus tamen menſtruis ſociata & ſubtiliata, ſtupendos & admirandos effectus præſtare. Sed quemadmodum cautè & prudenter talia medicamina adminiſtrare oportet, ita reverà in præparatione illorum dextra operatoris manus, judicium & ingenium requiritur cum indefeſſo labore. Nam quæ ſolventia huic vel iſti metallo conveniant, quomodo ſpiritus conſervator, in iſtis ſolventibus latitans, à corroſivo & excrementis arſenicalibus & terreis liberetur, & cum atomis auri vel alterius metalli ſubtiliatis ſuaviter colligetur, ut in dulcem quandam eſſentiam, κοινονίαν & γλυκεῖαν coeant, Archæo humano pergratã & acceptam, Deumque illuſtrantem & reconciliantem, heic opus, hic labor eſt; heic exercentur inanes artificum curæ. Hermes jubet ſubtile & tenue à ſpiſſo & craſſo ſeparare, idq; prudenter cum modeſtia & ſapientia, ut à terra in cœlũ aſcendat, & de cœlo rurſus in terram deſcendat, nempè ut ſubtilietur & figatur: ita enim, ait, potentiam ejus perfectam eſſe, ſi in terrã mutetur; habere enim tùm poteſtatem omnia penetrandi & ſubigendi ac corrigendi. Ad hanc ſubtilitatẽ acquirendã tota Philoſophorũ doctrina collimat, dum generale præceptum ponit: *ſolve, & coagula:* per frequentes

enim

enim ſolutiones & coagulationes corpora attenuantur, ſubtiliantur, purificantur & penetrantur. Nota eſt mihi methodus tàm quæcunque vegetábilia, quàm metalla & mineralia ſolvente quodam minimè corroſivo diſſolvere, digerere, fæces ſeparare, ſolutionem partium facere,& ſubtiliores partes guſtu, odore, colore naturali conſervare. Et ſanè hæc eſt ſola unica methodus tàm medicinasquàm tincturas faciendi bonas. Omnia reliqua extracta magiſteria, præcipitata & deſtillata nihil ſunt, nugæ ſunt. Hanc methodum opePharmacopolæ noſtræ Pſychoſophicæ gratis dono, & gratis etiam Pſychoſophicis meis dabo, ſed heic loci typis mandare, ſacramentum noſtræ ſocietatis vetat. Legite *Claveñ* de triplici Præparatione Auri & ſi nihil inde poteſtis diſcere,nec electi, nec vocati eſtis ad hanc materiam.Cœterùm ut finem faciam dicendorum, *non in aëre modo nec in aqua ſpiritus ille conſervator habitat, verùm totam quoque TERRAM incolit*,præſertim limum pinguem & lutum cœruleum, de cujus admirando ſpiritu in Phyſica mea ſubterranea legitis; porrò duriſſimos ſilices inhabitat, unde ſpiritus elicitur in purpura variolis morbillis aliiſque morbis acutis & malignis pro auro potabili inſerviens, de quo in minera mea arenaria ulteriùs. Sunt quoque mineralia & metalla, quæ hominis inſtar quaſi pulmonibus motu ſyſtolico & diaſtolico ſpiritum hunc inhalant & exhalant,potenterque in vicina corpora & præſertim corpus humanum agunt perpetuò, citra ullam virium amiſſionem. Unde à Philoſophis meritò ſubjecta infinitæ bonitatis vocantur. In ipſis etiam fimetis,ſterquiliniis & excrementis ſpiritus noſter latet, unde extrahitur ingenti poteſtate & medica & vegetativa & reſtaurativa



Digitized by Google

tiva & illuminativa; unde *Democritus Græcus* non immeritò dixit: *Hoc accipe, quod in ſterquiliniis ſuit calcatur; ſi absque ſcala aſcenſurus cades in caput.* Plurimùm autem hic ſpiritus nobiliſſimus perlis ſive margaritis ineſt, tanquam cœleſtis roris progeniei, cujus ſpiritus admirandam vim aliquando heic in Anglia in Caſtello Regio *VVindſor* demonſtravi, quamq́ue expertus eſt veram. Sed quod docendum, ſpiritus hic noſter, ex ſubjecto tali elicitus, precioſus admodùm & carus eſt. Verùm benevola natura illum largiùs & liberaliùs in ſale quodam tàm divitibus, quàm pauperibus ferè gratis dedit, quod *ſal nitrum* vocatur, non quidem illud terreſtre taphacium, marinum, & quod ex ſterquiliniis, cellis & cemeteriis eruitur, ſal plùs decompoſitum, qùam ſimplex, ſed *illud nitrum intelligo, quod in ipſo aëre generatur purum & valdè ad ſimplicitatem & unitatem mixti accedens, ex quo medicina paratur ſubtilis inſtar ſpiritus vini, rubicunda ut ſanguis, dulcis ut ſaccharum, vel ſolo odore ſpiritus vitales mirè reficiens, verum elixir pro corde & pulmonibus, auro examinato & pallido colorem ſuum reſtituens.* Velim autem hic, ne aliquis imprudens credat, me *communem ſpiritũ nitri* intelligere, atq; incautè in illum impingat, tempus & ſumtus inutiliter perdat. Novi enim, qui integrum decennium in nitro inutiliter laborarunt; ratio eſt, quoniam quomodocunque nitrum tractent, nullam ejus veram faciant analyſin vel partium ſolutionem, *nempè nunquam ſeparabunt aquam à terra.* Eſt autem in *nitro* ſulphur in forma terræ & olei dulciſſimum & vera ſolis proles, ſed junctum cum aqua oritur compoſitum, quod nitrum vocatur, quod acidum & corroſivum eſt. Terra enim ſulphurea per

aquam elevata & extenſa corroſivum præbet, quod videmus in aqua forti & ſpiritu nitri. Nam licèt nitrum in forma ſua ſolida & congelata non uſquequaque ſit corroſivum, nec corroſivis annumerari poſſit; undè à *Bacone Verulamio* ſali communi pro uſu quotidiano ad cibos magno cum effectu admiſceri jubetur, nec non nitrum commune ſulphure detonatum pharmacopœis ſub ſalis Prunellæ nomine venale, vires habeat non contemnendas; id tamen non præſtat in *forma ſolida*, quod ab illo deſideratur in *forma ſubtiliata*. Aſt cum ſubtiliatur, ſcilicet viâ communi per deſtillationem, certum eſt fieri horrendum corroſivum, *quod in ſpiritu nitri videmus tantæ poteſtatis, ut etiam duriſſima metalla ſolvat & lapides*, idque ideò, quoniam nitrum totâ ſuâ ſubſtantiâ elevatur in deſtillatione, nullam expertum partium ſolutionem, unde corroſivum fieri naturale eſt; *ſpiritus itaque nitri communis, nihil aliud eſt niſi nitrum totâ ſuâ ſubſtantiâ elevatum, in formam aqueam deductum, & propter rarefactionem corroſivum factum, eâdem fere ratione, quâ glacies communis totâ ſuâ ſubſtantiâ calore diſſolvitur in aquam, quæ tamen non aqua ſimplex eſt, ſed retinet qualitates frigidas glaciei, rurſus denique in glaciem recongelabilis:* ſic nitrum corpus ſolidum ſalinum convenienti igne totâ ſuâ ſubſtantiâ convertitur in corpus fluidum, quod ſpiritum nitri impropriè vocant, naturam tamen habet adhuc nitri, & levi *manipulatione* rurſus in nitrum ſolidum converti poteſt. Idem de ſale communi ejusque ſpiritu ſentiendum. Hæc duo univerſalia, neceſſaria & utiliſſima ſubjecta in mundo, ſine quibus nulla creatura vivere poſſet, à tot ſeculis, à Chymicis anxiè & ſtudiosè pertractata, illos tamen ſemper

extra

extra circumferentiam tenuerunt, nec unquam ad eſſentiæ ſuæ centrum vel nucleum permiſerunt. Vos verò, Pſychoſophi, noviſtis characterem & figuram utriusque ſubjecti, *NITRI* nempè & *SALIS*, ponite maritũ ſupra fœminam, & habebitis crucem, quod eſt ſignum viridis æris Philoſophici; unde Philoſophus exclamat: *O benedicta viriditas, quæ cunctas res vireſcere facis!* & hæc viriditas perpetua & immarceſſibilis oritur ex cruce combinatorum characterum *NITRI & SALIS*; diſcite ergò ex ſignis ſignificata, & videbitis, quòd numerus hic dualis ad ſanitatem & opes vobis ſufficiat, nec vobis aliquid deſit, niſi propria veſtra culpa & ignorantia. *Quæ etſi veriſſima ſint & evidentiſſimè demonſtrata, ſcio tamen à ſcholaſticis Philoſophis noſtris non intelligi poſſe, quoniam non luce mentium pſychoſophicâ utuntur, ſed tantùm illud credunt & æſtimant, quod oculis ſenſualibus intuentur & manibus carnalibus palpant. Hi ſemper & adeò circa corpora hærent, ut non vereantur non minimi inter illos etiam Deum ipſum ſubſtantiam materialem determinare*, ſicut *CARTHESII, HOPPESII & SPINOSAE* ſcripta & doctrinæ innuunt. Taceo in phyſicis & medicis rem non minùs in materiali oſtentatione, quàm in reali eſſentiâ conſtare. Hinc cadaverum tàm curioſa inveſtigatio anatomica & medicamentorum tàm confuſa varietas & multitudo; verùm id omne mirum non eſt. Nam ſicut, qui periculum amat, in periculo peribit: ita ſanè qui confuſionem amplectitur, cujus pater diabolus eſt, nunquam ad ſimplicem Veritatem veniet, cujus fons ipſe DEUS eſt. Veruntamen ſicut dies eſt & nox, lux & tenebræ:



Digitized by Google

ita lucis & tenebrarũ filii mixtim in hoc orbe vivunt, ſed cum hac diſtinctione, ut illi ſciant diſcernere eſſentiam, quam populus vulgaris cum ſiliquis vorat. Nam ſicut porci vel ſues nucleos cum putaminibus & corticibus, piſa & fabas cum ſiliquis, imò eſſentiam cum excrementis deglutiunt, quoniam ſeparare & diſcernere neſciunt; ita communi Chymiſtarum gregi conceſſum eſt, ut hæc duo magna catholica, ſeu univerſalia ſubjecta, *NITRUM* nempè & *SALEM* tractent, & fruantur in ſua ſubſtantia, nempè cum eſſentia & fæcibus. In qua tamen tractatione, licèt communi, tantam effectuum vident varietatem, magnamque cum metallis tàm ſubſtantiâ *ſolidâ* quàm *fluidâ*, tàm in *ſeparatione*, quàm *ſolutione* ſympathiam & actionem, ut ſi vel hic non caligent, ſaltem verum eſſe invenirent, Alchymiam eſſe veram & utilem: *latere* nempè in *NITRO facultatem ſeparatricem, digeſtivam & maturatricem, argenti præcipuè, in aurum, tingendiq; potentiam vero & conſtanti colore aureo, in SALE* verò *COMMMUNI lunæ purgationem & fixationem latere.* Denique ſi ſulphur, vitriolum, quæ ipſa tamen decompoſita ex uno vel altero horum utrorum ſalium ſunt, excipias, ſive quod ex his fixatum & ſubtiliatum eſt, ut Alcali & ſal volatile, nihil invenies in regno ſalino, quod aliquam notabilem cum metallis actionem inſtituat, niſi fortè Mercurium & Arſenicum (ut non immeritò) ſalibus quoque annumerare velis; ſciunt hoc Chymici probè. *Glauberus* multos tractatus de ſalium anatomia, præſertim nitri & lunæ cornuæ ſcripſit; *Keslerus* & multi alii itidem; ſed tandem exoptarunt, vel potius in ſomno vaticinati ſunt animam nitri & dulces chryſtallos ſalis,

ſalis. Certè enim auſim dicere & aſſecurare, quod nihil ſit, quod vel ſpiritualiter vel corporaliter metalla eſſentialiter vel ſeparet vel intret, vel novum ſeparatum corpus, vel magis decompoſitum producat, quam Productionem communis Chymiſtarum cohors transmutationem vocat. Verùm auſim quoque aſſerere, quòd nullus hoc ſcrupulo hanc doctrinam ſolidiùs expoſuerit, quàm *Claudius Berigardus, Profeſſor Italus* in Circulo ſuo Piſano, in titulo de enarratione hiſtoriæ alicujus projectionis & transmutationis, à quodam Gallo coràm ſe factæ. *Purpuratus Caiphas*, cum ſe ipſum nihil in Chymicis intelligere profiteretur, eandemque artem contemneret, tamen utut magnus Profeſſor vaticinio quodam rationis profiteri coactus eſt, *artem hanc eſſe veram*, quod ſequentibus rationibus demonſtrat: Conſtare nempè metalla (ſicut etiam omnia alia corpora) ex diverſa variorum corpuſculorum ſive atomorum textura, pro cujus varietate totum etiam mixtum variat & differt. Supponit itaq; *Pericardus* in omni metallo eſſe quandam texturam corpuſculorum, *auri texturæ conciliabilem, ſi, quæ ei contraria & heterogenea ſunt, demantur, & quæ in homogeneis deficiunt, ſuppleantur & addantur*, & hanc duplicem facultatem ſeparantem & ſupplentem *pulveri* iſti ineſſe ait, quem *tincturam* vocant. Quæ tinctura ideo quantitate extenſivâ (e. gr. una pars mille partes) alterat, quoniam ad variandum corpuſculorum texturam vel minima pars ſufficit; quod in antimonio & ſtanno videmus, quorum minima pars etiam malleabiliſſimis metallis commixta friabilia reddit. Proinde Autor noſter argumentatur à contrario, *poſſe* nempè *dari medici-*

*dicinam, quæ vel volatilia reddat fixa, vel friabilia faciat ductilia, vel alba tingat flava, cum conſtet flavedinem auri tantùm eſſe ſupertexturam paucorum corpuſculorum à reliqua textura ſeparabilium*, vide Experimentum *Dmn. Boylei* in tractatu de origine formarum & qualitatum, titulo de modo transmutandi aurum in argentum. Idem in *cupro* cernitur, *cujus color ruber ſupertextura tantùm eſt*, * *quæ abſtrahi poteſt, ut album reddatur corpus, quod Ludovicus de Comitibus* in metallurgia ſua tit. de cupro metallum anonymum vocat, quod ipſe paucum ante tempus heic in Angliâ cum *Dmn. Principe RUPERTO* feci; *ſimilis textura ſive decompoſitio eſt in ſtanno, unde ſtridet &* † *paucis corpuſculis abſtractis, dulce eſt & non ſtridet admittitque cupellationem*; meritò ergò concludere poſſumus, metalla in præcipuis ſuis accidentibus, nempè colore, ſono, malleabilitate, ignis ſubſiſtentiâ, pondere alterari poſſe ſive demendo, ſive addendo quædam corpuſcula, quæ neceſſaria ſunt: ipſa enim metalla tota ſua ſubſtantia mixta & compoſita eſſe in Phyſicâ meâ ſubterraneâ ejusque ſupplementis, nec non Minera Arenaria abunde demonſtravi, licèt demonſtratione opus non ſit ubi autopſia & experientia teſtantur. Sumite enim mineram, e. g. ſtanni vel plumbi, illa, licèt ſit ſolida & optimæ notæ, erit tamen friabilis; idque vel ob intermixtum lapidem, vel terram, vel ſulphur, vel arſenicum. Quod ſi arte fuſoriâ iſta excrementa vel ſcorias ſeparaveritis, habebitis metallum ductile & malleabile. Sed ne credatis eſſe corpus vel mixtum ſimplex, certè eſt adhuc compoſitum, quod ſi ſciatis ſecundam & tertiam ſeparationem inſtituere vel decompoſitionem, habebitis aliud metal-

* ♀ *dealbatio.* † ♃ *ut non ſtrideat.*

lum

lum prorſus à priori differens, quod non vulgus modò, ſed omnes Docimaſtæ & metallurgi transmutatum eſſe dicent, quod pulchrè & ingenioſè *Anglus noſter Robert Sharrock in Hiſtoria propagationis & culturæ vegetabilium Dmn. Boyle dedicata p. 31. definit ſequentibus verbis Anglicanis*: Y & i am perſuadet that in many of their changes they rather ſeparate, and bring to apparence a latent minerall, than produce it by the transmutation, of an-other into that nature, id eſt: *Ego mihi perſuadeo, quod multa ſint alterationes metallorum, quæ potius ſunt ſeparationes, producentes ad apparentiam latens quoddam metallum*, de omni *quod per transmutationem unum metallum in aliud convertant.* Et *pag.* 32. de tota transmutatione rerum ſic profert ſuam ſententiam: And for the deciding the cohole queſtion if the form be ſpecificall and ſo made by the aggregation of a certain number of accidents,thoſe accidents and that number muſtbe aſſigned, that are thought enough to compleat a nevv form, before vve may begin to judge in this matter for thra very many accidents may be changed id appears by the above named inſtances in vegetablesanid in other body es many more. Id eſt: *Et ad decidendam hanc totam quæſtionem* (ſcil. de transmutatione) *conſiderandum prius erit, utrum forma ſpecifica rerum conſtet*

*ex certo numero congregatorum accidentium, quæ accidentia eorumq; numerus debent aſſignari & definiri, quod & quantum requiratur ad conſtituendam hanc aliam novam formam, priusquam poterimus judicare præcisè de hac materia, & formas definire; nam quod varia accidentia corporum alterari poſſint, patet ex ſupra dictis experimentis de Vegetabilibus aliisq; corporibus.* Hactenus Autor, qui cautè proceſſit in ſua definitione. Admittit enim clarè *alterationem accidentium*, ſed tamen non audet contra *Ariſtotelem* decidere *transmutationem formarum.* Licèt *Theologi Romani* contrarium aſſerant in ſacra Euchariſtia, nempè transmutari formam panis in corpus Chriſti, & tamen remanere accidentia panis; quam doctrinam quaſi paradoxam *Lutherus Uationem*[illegible], ſuper-decompoſitionem vel juxtapoſitionem ſtatuit, relinquens panem in ſua natura, forma & accidentibus, & inferens corpus Chriſti. Eâdem ratione multi ſunt, qui ad priorem quæſtionem phyſicam contrarium negant, nempè non manere eandem formam variatis principalibus accidentibus, ſed vel alterari vel transmutari vel perfici in aliam, e.g. cum ex ovo fit pullus, ex bombice papilio, quis non dicit mutatam hic formam eſſe utriusque, ſcilicet propter alterata accidentia? deinde inter vegetabilia non dicam, quod ex ſaccharo fiat ſpiritus ardens, ex muſto vinum, ex vino acetum, adeò ſibi contraria, ut quoad omnes facultates ſint prorſus diverſæ naturæ. Nam ut dem exemplum in metallis, *ſi argentum haberet pondus & colorem auri, ac ſtaret in aqua forti* (hæc ſunt tantum tria accidentia) *nonne judicaretur ab omnibus Docimaſtis totius orbis juxta omnes leges & conſuetudines pro vero auro?* non attendendo, utrum

forma

forma argenti vel ſit perdita, vel perfecta, vel alterata vel ulteriùs perficienda; ſimili ratione *ſi quis ſciat argentum fixum reddere, ut tantummodo aquam fortem ſuſtineat* (cupellam enim ſuſtinet, ſicut & malleum) *& tale argentum cum auro colliquefaciat & miſceat, quaſo quis erit tàm prudens docimaſta vel ſpagyrus in mundo, qui rurſus ſeparare poſſet?* utrumque enim corp9 *cupellam* ſuſtinet & *aquam fortem, punica ſeparationis remedia.* Par ratio eſt in *commixtione ſtanni cum cupro, ubi nova textura exoritur, novumq; metallũ compactum, medietate minus ſpatium occupans, quàm occupabat antehac utrumque.* Mutatio verò quantitatis & contenti unius corporis videtur mihi una ex eſſentialibus formarum alterationibus, quod judicandum eſt de omnibus reliquis metallorum accidentibus. Nam ut in metallurgia mea demonſtravi, poſſunt metalla alterari, ut fiant gravia & levia, volatilia & fixa, friabilia & malleabilia, compacta & poroſa, mollia & dura, ſonora & muta, leviter fluentia & ſciptica, albo vel rubro vel flavo colore tincta, ut patet in orichalco aliisque metallorum ſic dictis ligaturis. Et de iſta mixtura metallica, quam Philoſophicam appellant, & quam Gallus quidã, cujus nomen mihi excidit, ſive fuerit Queſne vel *Freſne*, (Scriptum eſt editum *Bremæ* in quarto Latinè ſub titulo Teſtamentum ad filium ſuum,) fuſè recenſet, ſenſus eſt ſive intentio, *quod aurum in colore ſuo exaltetur colore ſummè rufo, ſed fixo & permanente.* Cujus exaltationis quoque meminit *Baſilius*, quando ſcribit: *Aurum non tingit, niſi prius tingatur. Beguinus* quoque & *Lazarus Ercker* proceſſum hujus operationis deſcribunt, *egoque hanc operationem* præteritâ æſtate *VVindſorii* coràm *Rege Angliæ & Principe RU-*

PERTO demonſtravi. *Auro * ſic exaltato addunt argentum fixatum tale nempè, quod aquam fortem ſuſtinet*, cujus meminere in ſcriptis *Iſaacus Hollandus*, *Martinus Schmuckius*, egoque probam *Monachii* coràm defuncto *Electore Bavariæ FERDINANDO MARIA* per Chymicum quendam Oberleutnerum factam vidi. Cujus experimenti quoque teſtis eſſe poteſt *Andreas Jahlin, Parochus in VVeitzenkirchen* penes Paſſaviam. His duobus metallis ſic præparatis, *auro nempè exaltato & argento fixato, colliquefacite utrumque, & ſic matrimonium Gabrici & Bejæ indiſſolubile factum eſt.* Aurum enim exaltatum diffundit tincturam ſuam in argentum album, & in pulcherrimam flavedinem temperatur, ſicut videmus in *Zinckio* cum cupro mixto. Argentum è contra, fixitatem adeptum, nec dimittit aurum in cupella (quam quidem ſuapte naturâ ſuſtinet) nec ſeparatur ab aquâ forti in *ſolutione*, ſive ut Docimaſtæ vocant *quartatione*. Hæc igitur mixtura omnes auri probas ſuſtinet, eſtque facilis & utilis, ſed laborioſa, totum requirens hominem, & nonnullam pecuniæ ſummam, paucum tamen tempus. *Geber* Philoſophus noſter antiquiſſimus & certè perſpicaciſſimus jam ante mille annos prævidit, & mentionem facit *hujus Particularis* duobus in locis; primò libro Fornacium cap. 18. ubi ait: *Et ſit tuum adjutorium Venus optimè purgata & diſſoluta, cùm ab ea extrahitur ſulphur mundiſſimum tingens & fixum*; ſecundò parte tertiâ lib. 1. Summæ Perfectionis cap. 33. de argento ſic ait: *commiſcetur ſoli & non frangitur, ſed in examinatione ſine tificio cum eo non perſeverat. Qui novit illud magis ſubtiliare, & poſt ſubtiliationem ſpiſſare & figere cum auro aſſociatum, cum eo manet in pugna & ipſum non dimittit penitus.*

* ☉ *tingens* ☽.

*penitus.* Alii aliter procedunt. Retulit mihi *Dn. Boyleus* vir fide digniſſimus, ſe noſcere nobilem quendam Anglum ruri habitantem, qui aliàs de facultatibus paternis parùm habebat, & proinde tenuiter vivebat, jam verò lautè, interrogatus à *Dn. Boyleo*, unde media ſuggeſſiſſet? liberè reſpondit & faſſus eſt, ſe unicum Particulare habere, cujus reditibus viveret; interrogatus, quodnam eſſet? Reſpondit *Baſilium Valentinum* ejus mentionem facere, nempè *ſe extrahere ex auro flavedinem, & illam projicere ſupra argentum, ſic argentum tingi in aurum; aurum verò album, unde flavedo ſive tinctura extracta eſt, recuperare illam ope ſpiritus nitri vel per fuſionem antimonio, vel per tractationem cum Venere.* Cùmque *Dmn. Boyleus* ulteriùs interrogaret, quodnam eſſet illud menſtruum vel ſolvens, quo tincturam auri extraheret? regeſſit, quare *Dmn. Boyleus* interrogaret; cùm tamen illud ipſum in ſcriptis ſuis haberet. Uterque adhuc in vivis eſt & *Dmn. Boyleus* & *Nobilis* ille. Hiſce duobus proceſſibus tertius quoque addi poteſt tanquam veriſſimus, quem *Paracelſus* recenſet in libro Vexationum, & in quem commentatus ſum ſub finem ſupplementi mei ſecundi in Phyſicam ſubterraneam, qui *conſiſtit in metallorum mixtione, ſive, ut vocant, amalgamatione cum argento vivo in trituratione & in digeſtione ſive cohobatione.* Quæ operatio, licèt ſit laborioſa & potiùs mechanica, quàm Phyſica, veritatem tamen mixtionis & decompoſitionis, ac inde exortæ transmutationis, vel ſicut quibusdam dulciùs loqui libet, maturationis veritatem demonſtrat.

Licet

licet enim mihi in hac operatione plurima ſint nota experimenta utilia, propriis manibus elaborata & comprobata, Amicis & Pſychoſophis meis reſervata, alienum tamen adducam teſtimonium *Dmn. Daniel. Crafftii*, Chymici cujusdam valdè ſeduli & circumſpecti, *Glaubero & Kunckelio* familiaris, cujus etiam *Dmn. Boyleus* meminit in ſua Noctiluca, etiamnum ni fallor in vivis, ſi peſtis ipſum non abſorpſerit. Ille ad me ſcripſit *Lipſiâ Londinum* 5. Maij 1680. ſequentia: *Sumus occupati jam hic Dreſdæ, & multo tempore magnis impenſis in Mercurio laboravimus, & eò usq; devenimus, ut non ampliùs dubitandum ſit, poſſe aurum & argentum ſine illorũ additione procurari. Eſt quidem gravis & ruſticus labor, è contra certus, poteſtque in magnis laborari in quantum placet. Calculus eſt taliter factus, ut * unaquæque libra cupri, anni ſpatio ſcilicet, per vices det ſemunciam auri. Labor nihil aliud eſt, niſi CONTINUA AMALGAMATIO ET COHOBATIO MERCURII SUPER CUPRO; multifariæ probæ ſufficienter demonſtrarunt Veritatem,* &c. Hæc ille. Quodſi quis ex Alchymia vivere velit, id eſt, ſibi ſoli inſervire, & non proximo, habebit hic tres proceſſus veriſſimos & utiliſſimos ratione, experientiâ & authoritate comprobatos, qui tamen omnes ex mixtione dependent. Nam *ſicut nulla alteratio ſine corpuſculorum mixtione datur, ita nulla mixtio contingit ſine motu, & nullus motus ſine calore, & nullus calor ſine igne vel agitatione.* Hinc *mixtionis veræ Phyſicæ* (nam de juxta-poſitione ſuperficiali, quæ nihil prodeſt, non loquor) duæ manus ſunt *TRITURATIO ET DIGESTIO*, prout hæc fuſiùs expoſuit *Langelottus* in epiſtola ſua; De Trituratione verò in ſpecie *Dmn. Comes de VVolffſeck*, ſupremus

* ♀ *dat* ☉; *continuata amalgamatione* ☿.

Præ-

Præfectus Palatinatus ſuperioris Ambergæ, maritatus cum Duciſſa de Arſcot, Vir ditiſſimus, inſuper Chymiæ ſtudioſiſſimus, multos annos experimentis impendens, præſertim triturationi, cum familiariter à me interrogaretur, quid de transmutatione metallorum candidè ſentiret, ingenuè reſpondit: *ſe nihil veri intus vidiſſe, niſi ope triturationis.* Et dolendum eſt ipſo mortuo plurima curioſa experimenta, quæ accuratiſſimè conſcripſit de *trituratione metallorũ*, non publici juris facta eſſe. * Mihi nota eſt via ſolo motu mechanico convertendi Mercurium in pulverem, itidem *plumbum in priſtinum* corpus irreducibile. Legantur, quæ *LANGELOT* ſcribit de reductione auri in oleum ſupra memoratum, nullius alterius rei additione. Certum enim eſt, *triturationem aliter diſponere corpuſcula in minimos atomos redacta, ut deinde rurſus commixta non præſtent priſtinum mixtum, ſive exhibeant antiquam texturam*, quod manifeſtè videmus in *grano tritici*, quod conquaſſatum vel in farinam redactum, & deinde terræ impoſitum nunquam germinabit, ſicut nec vitellus ovi commotus ullum pullum exhibebit. Natura enim habet non modò reſpectum ad centrum Phyſicum, verùm etiam videtur reſpicere ad certam quandam localitatem Mathematicam. Hinc *aliqua corpora digeſtione & putrefactione alterantur, alia motu & trituratione, alia utroque auxilio*, quod benè obſervetis velim. Quantùm verò ad digeſtionem attinet, illud verũ eſt, quod de igne & tempore dicitur, nempe utrumq; vel tollere, vel alterare omnia: *ignis enim & fons vitæ eſt, & cauſa mixtionis, accretionis & generationis ac nutritionis, verùm etiam deſtructionis.* Proinde non immeritò à Philoſophis *malleus mortis* voca-

* ♄ *irreducibile.*

vocatur. Verùm de mixtione ejusque gradibus optimè & ingenuè, imò experientiſſimè Claveus ſcripſit, ad quem Lectorem remitto, & heic loci concludo. Præſentio autem nonnullos fore, qui ex hactenus dictis ſcire deſiderent, quandoquidem ſtatuam ſpecialitatem formarum ex diverſitate corpuſculorum (quæ alii impropriè accidentia vocant) prodire, quomodo tàm ingens multitudo tot myriadum formarum dari poſſit, cùm Chymici tantùm ſtatuant tria principia, Ariſtotelici duo; admodum tamen ſint quatuor elementa, ex quibus certè omnia procedere neceſſe eſt? his ſequentibus reſpondeo: Primò me non latere dari tantùm unam cauſam efficientem omnium rerum, nempè Deum, unumque ſubordinatum motorem Solem, quatuor itidem ſimpliciora mixta, quæ elementa vocant, nec rejiciam *Ariſtotelis* primam materiam & formam ſive agens & patiens, aut Chymicorum tria principia, *ſpiritum, animam & corpus*, ſcilicet *Mercurium, Sulphur & Salem*; concedam inſuper *omnia ſalia volatilia eſſe verè urinoſa*, ejuſdemque naturæ, ſicut *ſalia fixa omnia ſunt alcalia*, nec credo quoad qualitatem ſpecificam multùm inter ſe differre, ſicut & *omnia olea ſtilatitia*, ſi ſolùm odorem excipias, unius ferè erunt naturæ, quod idem de ſpiritibus ardentibus intelligent: ſic in *phlegmate & capite mortuo pauca quoque vel pernulla eſt differentia.* Idem ſentiendum de acido, quod nonnulla corpora fundunt, ita ut tota facultas ſpecialis, potiſſimùm vegetabilium, in eorum ſubſtantia media conſiſtat, de qua latiùs in Phyſica mea ſubterranea capite de Fermentatione. Infero itaque ex prædictis ſubſumtis & conceſſis *ſpecificam rerum formam in pauciſſimis*

*mis*

*mis conſiſtere; fortè ſi prudenter omnia reducantur ad ſua principia, omnia conſtabunt ex aquâ & terrâ interpoſito aëre juxta certos gradus raritatis & denſitatis.* Unde igitur, inquies, tot millenarū ſpecierum & formarum multitudo & varietas, accidentiumque, ut: mollitiei, aſperitatis, colorum, ductilitatis & friabilitatis, compagiei, poroſitatis, ponderis & quantitatis, volatilitatis & fixitatis, ſoni & toni, diaphaneitatis & opacitatis, figurationis & effigiei, immenſa diverſitas & alteratio tàm naturæ, quàm artis? ubi velim ſequentia conſideretis: primò, eſto omnia corpuſcula, quæ corporum texturas intrant, *generaliter duplicis tantùm generis eſſe*, *TERREA* ſcilicet & *AQUEA*; *in genere tamen ſubalterno valdè inter ſe diverſa & ſpecificata eſſe*; e. g. *datur TERRA ſolida*, ut lutum, *macra*, *pinguis*, *mollis*, ut limus, *opaca*, ut ſaxum, *diaphana*, ut chryſtallus, *ſemidiaphana*, ut porcellana, *fluida*, ut argentum vivum, *rarefacta*, ut flammæ igneæ, *lucida*, ut noctiluca phoſphorus, cicyndelis, lignū putridū, piſces nonnulli, datur terra *colorata* & *non colorata*, *ignem ferens* vel *non ferens*, denique ultimatim vel in calcem vivam, vel in vitrum *reducibilis*. Sic & *elementum AQUAE valdè diverſum* eſt: *rarefactum*, *expanſum*, *meteoricum*, *aëreum*, *fluidum*, *liquidum*, *ſolidum* ut in glacie, *purum* ut aqua fontana, *mixtum* ut aqua marina, *ſuper decompoſitum*, ut in thermis & acidulis. Videmus nunc, ſi quoque conſiderare velimus, quòd omnium harum particularum mixtio dependeat à certo numero, à certâ proporione, à certâ ſituatione & locatione, à certâ ſubſtantiâ & qualitate, à certa rarefactione & condenſatione, denique à certâ juxtapoſitione & combinatione, & hæc omnia juxta plurimos gradus. Taceo

Taceo jam ARTIS CHYMICÆ *operationes*, quas ut varias & diverſas habet, ita varios quoque & diverſos producit effectus, ſic habet *digeſtionem, putrefactionem, fermentationem, liquefactionem, extractionem, ſolutionem, cohobationem, præcipitationem, fixationem, incerationem.* Quibus variis operationibus varios quoque & ferè infinitos producit effectus, fixa reddit volatilia, ſolida fluida, oleoſa ſalſa, & è contra. Denique immutat figuras, colores, odores, ſapores & omnes ſenſus rerum. Tum agendi modus rurſus diverſus eſt; alius effectus prodit in clauſo vaſe, ſicut videmus in carbonibus; alius in aperto igne, ſicut in calcinatione & incineratione; unde effectus prodeunt prorſus incredibiles, adeò ut ipſis Chymicis, ſi vel minimum in operationibus ſuis varient, propria ſua experimenta non ſuccedant. Unde *Domn. Boyleus* tractatum ſcripſit de Experimentis non ſuccedentibus. Alii cauſam in certam quandam conſtellationem & influentiam ſiderum conjecêre; ſed nugæ ſunt inter tot circumſtantias, ſi non accuratè obſerventur, præſertim ſi earum ratio Phyſica ignoretur, & tantùm caſualiter operetur, facilè error committi poteſt. *Si ego ipſe* in hodiernum ipſum diem illa experimenta rurſus facere poſſem, quæ tamen antehac ſolus propriis meis manibus perfeci cum ſucceſſu, cum cujusvis ſanè Principis opibus certare vellem; ſed ignorantiam & incuriam tum temporis, non aſtrorum influxum vel conſtellationem in cauſa fuiſſe, jam comperior. Inter reliqua rara & curioſa etiam utilia experimenta *notum mihi* adhuc eſt aliquod *Experimentum certum de* 🜍: *ut comburatur, & non comburatur*, quod idem ſemper ſuccedit: nempè fiat quadam vulgari unius horæ ſpa-

tio

tio in idem ſulphur ardens converti poteſt. Sic ars ludit cum natura, & natura cum arte, quod igitur, ſi naturæ ſubinde liceat, vel luxuriari in productis ſuis, vel abortus & monſtra procreare, quare non idem arti liceret? unde reverà tàm phyſicè, quàm chymicè infinitæ dantur mixtiones mixtorumque formæ & ſpecies: Sicut enim natura in uno genere florum luxuriatur; (e. g. quot vini ſpecies numeramus in mundo,) ita in Chymicis, Spagyricis & Pharmaceuticis inenarrabilis eſt ferè numerus compoſitorum, qui ideò eò minùs in admirationem venire debet, quò clariùs heic loci ejus cauſas componentes demonſtravi. Non itaque in genere, ut dixi, miremur tot varii generis *texturas*: nempè *ſpecies & formas* prodire præ noſtris oculis vel *ſimplices*, vel *mixtas*, vel *compoſitas*, vel *decompoſitas*, vel *ſuperdecompoſitas*, vel *homogeneas*, vel *heterogeneas*, vel *naturales*, vel *artificiales*. Et ne longior vobis ſim, quoad illorum ſubſtantias & qualitates, harumque ingentem varietatem, ſi ſpecialem diverſitatem ſcire deſideretis, legite mei Organi novi philologici libri ſecundi ſection. primam & ſecundam. Interim mihi tamen tanta varietas non in admirationem venit, ſi conſideremus, unum textorem paucis filamentorum ſpeciebus innumerabilia texturarum genera contexere poſſe, quorum nullum cum altero conveniat. Idem videmus in Muſica, ubi ſex notarum ope infinitæ cantilenæ concinuntur, & in Arithmetica decem ziferarum numero myriades calculari poſſunt. Narrat *Jeremias Drexelius Jeſuita* in Correctore linguæ, vulgò Zungenſchleiffer/ poſſe 6. numeros tantùm aliquot mille vicibus ita transponi, ut ſemper nova diſpoſitio & combinatio exurgat; ſicut lepidam ejus rei

hiſtoriam narrat, fuiſſe nempè factam ſponſionem inter hoſpitem quendam & ſex convivas, quòd nempè hoſpes convivas toties gratis excipere velit, quoties ii mutatâ novâ ſtatione menſæ ejus aſſidere poſſent, ubi *Pater Drexelius*, neſcio, quot millenas alterationes recenſet, quoties hi convivæ menſæ aſſidere potuiſſent, adeò ut nec hoſpitis vita, nec opes ex ſequenti ſua ſponſione ſuffeciſſent. Ille quidem allegat hoc exemplum ad probandum, quid poſſit incauta lingua, ſed ego adduco illud, ut credatis, quòd ex unitate poſſit fieri dualitas, ex dualitate trinitas, ex trinitate quaternio, ex quaternione quinio, & ſic de ſimplicitate corpuſculorum tranſitur ad ſubordinationem, ſubactionem, ſecundariamque corpuſculorum diſpoſitionem, ex quibus deinde mixta, compoſita, ſuperdecompoſita, & juxtapoſita corpora fiunt, quæ ſive arte, ſive naturâ, ſive calore, ſive motu agitata aliam texturam ineunt, & ſic noſtris oculis alterata & transmutata eſſe, nempè novam ſpeciem & formam induiſſe videntur. Hæc de doctrina *transmutationis metallorum*, *quam rectè Pericardus ex textura corpuſculorum metallicorum prodire ait*, licèt hæc doctrina de corpuſculis jam antiquiſſima fuerit *Democrito* & *Leucippo* communis, poſtmodùm tanto tempore obſoleta à *Carthesio* miro applauſu renovata, & non ſine ſtudio ſubtili exculta, à *Berigardo* imitata, cùm tamen *Dmn. Boyleus* mihi conqueſtus ſit, *Berigardum* multum de hac doctrina ex ſuis ſcriptis excerpſiſſe, & pro ſuis venditaſſe. Ego verò *primus fui, qui hoc noſtro ſeculo novam doctrinam de principiis metallorum in*

*Phyſi-*

Digitized by Google

*Phyſica mea ſubterranea remonſtravi*, nempè *PRINCIPIA METALLORUM TERREA ESSE*, nempè *tres terras*, quarum mixtione metallum fiat, & quòd metallica mixta has terras in novam decompoſitionem admittant & aſſumant, & ut in ſupplementi primi capitibus duobus ultimis (in quæ heic loci hactenus commentatus ſum) demonſtravi, terras has metallicas principales per univerſum orbem diſſeminatas eſſe; quod ut veriſſimum eſt, ità à nemine mihi hactenus contradictum fuit, præſensque hic Commentarius doctrinam hanc ulteriùs elucidabit.

FINIS.

III.

# ALPHABETHUM MINERALE,

*Seu*

## VIGINTI QUATUOR THESES CHYMICÆ DE MINERALIUM, METALLORUM COETERORUMQUE SUBTERRANEORUM GENESI, PRINCIPIIS, DIFFERENTIIS, MIXTIONE ET SOLUTIONE.

Cornubiæ in Anglia inter ipſas multifarias mineras earumq́ue examinationes, autopſia & praxi congeſtæ & demonſtratæ juxta principia Philoſophica

*Phyſicæ Subterraneæ Doct:* *BECHERI,*

Truro Anno 1682.

Digitized by Google

*ILLUSTRISSIMO VIRO ET PHILOSOPHO EXPERIENTISSIMO*

DOMINO

# ROBERTO BOYLEO ESQUIRE,

*DOMINO ET PATRONO SUO OBSERVANDISSIMO.*

Q*Vis me caſus in Angliam conjecerit, jam ex præcedentibus duabus Dedicationibus, aliisq; ſcriptis & apologiis meis notum eſt, ubi Autor de utilitate capienda ex adverſis cynoſuram & clavum calamitoſæ meæ navis direxit, ut emergerem, & contra malignos fluctus potentium meorum inimicorum nihilominus ſalvus ad portum appellerem: periiſſem ſanè, niſi perieram, toxicumq; in medicinam transmutaſſem, cujus transmutationis cum* Tu Vir Illuſtriſſime *magna ex parte autor fueris, utpote qui auxilio & conſilio generoſiſſimè mihi adſtiteris, meq; in* Tuam *familiaritatem admiſeris meique*

*æſtimationem feceris, non immeritò, ne ingratus videar, chartaceo hoc opuſculo gratitudinem & obligationẽ meam publicè profiteor, & licèt quaſi in extrema Thule conſtitutꝰ illud tamẽ Horatii admittes;*

Dum licet, & vultum ſervat fortuna benignum,
Romæ laudetur Samos, & Chios, & Rhodos abſens.

*Pugnandum mihi heic ſanè fuit in Cornubia cum omnibus quatuor elementis, primò cum terra, tàm variarum mineralium ſpecierum divite, & tantum judicium & experientiam requirente, ut credam, nullum orbis terrarum locum reperiri, qui minerarum multitudine & varietate Cornubiam antecellat, & confiteor, me hic reperiſſe ſcholam minerarum, & ex Doctore rurſus factum eſſe diſcipulum. Secundò negotium non exile mihi cum exhaurienda aqua fuerat ope cujusdam machinæ hydraulicæ, cujus causâ à Sereniſſimo Magnæ Britanniæ Rege privilegium habeo; dum igitur machinam adorno, & juxta horizontem minerarum & quantitatem aquæ (quæ quaſi immenſa eſt; ad ducentos enim pedes quâlibet horâ fundit centum tonnas aquæ, ponderans quælibet tonna bis mille libras) inſtruo, magnum laborem & induſtriam adhibere debui. Tertiò aëris quendam uſum inveni, hactenus Cornubiæ incognitum, ditiſſimum tamen, cùm ventus heic loci extraordinariè flare ſoleat. Denique quartò ignis uſus, ope flammarum lithantracum ſtannum & mineralia fundendi, Cornubiæ hactenus incognitus, ſed à me intro-*

*introductus, non parùm quoq; mihi laboris faceſſit, adeò, ut circa hæc & alia experimenta totus ferè annus hic in Cornubia conſumtus fuerit, & non mediocris pecuniæ ſumma, ut facilè conjicere poteris; nunc verò, cùm rebus gratiâ Dei feliciter abſolutis, reditum Londinum meditor, ante omnia rationem* Tibi *reddendam duxi, cur toto iſto tempore* Tibi *non ſcripſerim, ſpero, quòd me excuſatum habiturus ſis, ſi multifarias meas occupationes percipies, quarum eſſentiam in hoc Alphabetum minerale congeſſi. Scio,* Te *Phyſicæ meæ ſubterraneæ æſtimatorem eſſe non poſtremum, & ſcio, has meas theſes ſubterraneas omnimodè* Tibi *arriſuras, utpote practicè Tuam Philoſophiam confirmantes, ipſeq; fateor, publicè me nihil unquàm in Chymia ſolidius ſcripſiſſe, nec ſcribere potuiſſe, niſi in Cornubia autopſiam adeptus fuiſſem. Magnam quidẽ, ob climatis auſteritatem, ac utriusq; finitimi adjacentis magni maris intemperantiam, valetudinis jacturam feci; mens è contra Philoſophiæ incrementum eò majus ſenſit, quod, ut* Tecum *communicarem, tanquàm cum intimo amico, axioma illud tritum mihi perſuaſit:* Amicorum nempè bona debere eſſe communia. *Quod ut circa Philoſophica à* Te *quoq; fideliter expertus, ita non vitio mihi vertes, verùm æqui bonique conſules, quod hiſce theſibus* Tibi *gratiam rependam, & ſpero,* Te *non ſtomachaturum, quòd typo publici juris illas fecerim, cùm* Tu ipſe *Tuam eruditionem orbi non invideas. Vale ergò, & ut cœpiſti, ac hactenus continuaſti, me & meos amare ac fovere perge, qui ſum*

Dominationis Tuæ Illuſtr. & Generoſiſſimæ

*Humilimus & obſervantiſſimus Servus.*

Digitized by Google

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

PEr theſes & axiomata omnes ſcientias ſolidè doceri methodus certiſſima eſt, quapropter eandem ſecutus viam, & Lectori Philochymico in ſupplemento ſecundo Phyſicæ meæ ſubterraneæ quoque nonnullas theſes Chymicas de metallorum transmutatione poſui, quæ, licèt erant clariſſimæ & invincibiles, à nonnullis tamen famelicis muribus, quoniam ab iis intelligi vel edi non poterant, arrodebantur, prout patebit in dedicatione Concordantiæ meæ Mercurii Lunæ. Et fateor, in negotio tàm arduo non omni ſtudioſo omnia axiomata ita præſenter in mente & memoria eſſe, ut mihi rerum talium jam multos annos verſatur, neque fortè me ipſum tàm clarè expreſſiſſe, quàm me ipſum intellexiſſe; amo enim compendium, & dum, juxta illud tritum, brevis eſſe laboro, obſcurus fortè fio. Obſervavi quoque, quòd plurimi ſupplementum primum in Phyſicam meam ſubterraneam non intelligerent, ut Morhovius & Societas Anglicana; Secundum verò ſupplementum Germanorum curioſorum ſocietas capere non poſſet. Itaque, ut utrumque ſatellitio ſtiparem, & commentario illuſtrarem, ſtatui ſupplementum primum hoc Alphabeto

Mine-

Minerali, ſive viginti quatuor theſibus Chymicis, ſecundum verò ſupplementum Concordantiâ Mercurii Lunæ
explicare & illuminare. Si Philochymicus Lector quid doctius, quid ſolidius, quid expertum magis ſciat, vel invenerit, quàm quæ heic loci ſcribo, provoco illum in arenam, non ut luctetur mecum de gloria & victoria, ſed ut tàm honeſtè & candidè orbi Philochymico ſua, quàm ego mea, communicet, ut me aliquandò ex libris aliquid didiciſſe profiteri poſſem, cùm hactenus ſolus cum ſolo agere debuerim. Alphabetum vocatur hæc libri pars, titulus levis, verùm tantæ gravitatis, ut totam hominis ætatem requirat; quot enim ſyllabæ, quot verba, quot combinationes innumeræ exinde fieri poſſint, nulli mortalium notum, utpote cui nulla ætas ſufficit. Optarem, alii ſequerentur hanc meam methodum, & veritas eò magis clareſceret, & animi hominum à turpibus uſuris abſtraherentur, & in conſideratione largiſſimæ naturæ benigniſſimo Deo gratias agerent infinitas, cui ſemper ſit laus, honor & gloria in æternum, (ut Ferdinandus III. Imperator in numiſmate in prolegomenis Tripodis noſtri ſubſculpto appoſuit) qui partem infinitæ ſuæ bonitatis nobis, ſuis abjectiſſimis creaturis, communicat.

 I. Quod-

I.

1. *Materia, Motus.*

QUodcunque in orbe eſt, dependet à *materia & motu*; Motus eſt duplex: extrinſecus & intrinſecus, ſeu *Mechanicus & Phyſicus.*

2. *Corpus & Spiritus.*

II. Materia eſt duplex: ſubtilis ſeu *ſpiritualis*, groſſa ſeu *corporalis*, nempè *rarefacta vel condenſata*, unde vel *Spiritus, vel corpus.*

3. *Definitio Elementorũ.*

III. *Ignis* eſt terra rarefacta, *Aqua* eſt terra fluida, *Aër* eſt terra extenſa.

4. *Figuræ Elementorum.*

IV. *Quatuor* ſunt *figuræ* terræ, nempè terrea, aquea, aërea, ignea, quas *elementa* vocant; ſed ſunt inter ſe commutabilia ac *transmutabilia*, ſic aqua convertitur in terram in plantis, terra convertitur in aquam in animalibus, aqua fit aër in exhalatione, lignum fit ignis in conflagratione, imò ipſe ignis rurſus convertitur in terram in calcinatione.

5. *Figuræ artificiales Chymicæ corporum.*

V. Corpora apparent ſub *quatuor Elementorum figura*, ſed *Chymicè tractata* convertuntur in cineres, ſalem fixum & volatilem, oleum ſpiſſum, vel rarefactum ardens, fuliginem carbonum, aquam, ſpiritum,

non

non, quòd reverà talia ſint, ſed quòd operatio ea tales figuras producat, omnes tamen in terram reducibiles: id enim conſtanter verum eſt: *OMNIS CREATURA TERRA EST, ET IN TERRAM REVERTI AC CONVERTI POTEST.*

VI. *Terra* in ſeipſa conſiderata vel eſt *ſolida*, ut metalla, vel *fluida*, ut argentum vivum, vel *opaca*, ut marmor, vel *diaphana*, ut Chryſtallus, vel *ſemi-opaca*, ut porcellana, vel *calcinabilis* ut calx, vel *vitreſcibilis*, ut ſilex, vel *ignem non ferens*, ut limus, vel *igni reſiſtens*, ut lutum, vel *macra*, vel pinguis, vel *hortulana*, vel arenaria, vel *tincta*, vel lucens, vel *animalis* oſſea, carnea, vel *vegetabilis*, lignea, reſinoſa, vel *mineralis*, lapidea, metallica. *6. Terræ differentia.*

VII. Ex variis terrarum ſpeciebus variæ oriuntur mixturæ & decompoſitiones, *animales*, *vegetabiles*, *minerales*. De ultimis his nõ ſtra tractatio erit. *7. Tria principalia mixta, nempè tria Regna.*

VIII. Nonnulli credunt, omnia conſtare *ex ſale, ſulphure & Mercurio*; ſed ego probabo, omnia, ſeu potiſſima mixta conſtare ex *triplici terra*, una *vitreſcibili*, quæ ſalis vicem præbet, matricem & baſin, altera *pingui*, quæ ſulphur eſt, compagem, tincturam & tenacitatem dat, tertia *ſubtilis* eſt, & materiam ſupplet, Mercurius vocatur ſeu potius Arſenicum. *8. Tres terræ principales.*

IX. Veteres noſtri Philoſophi non immeritò mixta ex *corpore*, *anima* & *ſpiritu*, nempè *9. Tria principia ſalis, ſulphuris, mercurii.*

nempè ex ſale, ſulphure & Mercurio conſtare aſſerebant, non quidem, quòd in omnibus corporibus effectivè & actu, Sal, Sulphur & Mercurius ſit, ſed quòd aliquid in eis reperiatur, quod cum his *analogiam* quandam habeat, propter quam & ipſa ſubjecta communis ſalis, Sulphuris & Mercurii nomen ſuum acceperunt. Et quidem *ſubſtantiam corpoream* ſalis principio indigitarunt, nempè ſalis alcali fixi, quod ex omnibus cineribus elixari poteſt, eſtque fixa & permanens corporum hypoſtaſis. *Animam rerum*, nempè ſubſtantiam oleoſam, unctuoſam, pinguem, inflammabilem ſulphuri compararunt, ob naturæ ſimilitudinem. *Spiritum* ſeu ſubſtantiam ſubtilem, volatilem, claram, lucidam, Mercurium vocarunt; eò quòd illius ſubſtantia ſit homogenea, volatilis, tenuis, indiſcerptilis, fulgida, penetrans. *Errant ergò craſſiſſimè*, qui veteres Philoſophos juxta literam intelligunt, & *actuale ſal, ſulphur & Mercurium, communia ſcilicet, ex corporibus quibuscunque extrahere intendunt.* Verùm quid *effectivè*, in ordine principiorum, per ſalem, ſulphur & mercurium (corpus, animam & ſpiritum) in mixtis præſertim ſubterraneis, Philoſophi propriè intelligant, *primus*, ut credo, in Phyſica mea ſubterranea detexi & enodavi, quòd nempè ſint *tres terræ invicem mixtæ*, & aëre, ac aquâ non raró intertextæ. *Prima terra* dat corpus ac ſubſtantiam & hypoſtaſin mixtis, & eſt duplicis generis; vel calcinabilis, vel vitreſcibilis;

*10. Denominatio trium principiorũ, unde?*

bilis; unde in animalibus oſſa, in vegetabilibus cineres elixati, in mineralibus lapides, arenæ, terræ vel opacæ vel diaphanæ, fuſiles vel igni reſiſtentes: veteres nonnulli ſulphur fixum vocabant, ſeu poſitivum mixtorum fundamentum, alii caput mortuum, alii terram damnatam; ſed quicquid ſit, finis rerum eſt calcinatio, & redactio in calcem, ſive ejusdem fiat elixatio, & ſal alcali, idem tamen igne diſcerptum, calcem præbebit, vel vitrum. *Secunda terra* dat mixtis conſiſtentiam, calorem, ſoporem &c. & eſt duplicis generis; conſiſtens vel liquida; unde in animalibus ſevum, adeps, axungia; in vegetabilibus oleum, gummi; in mineralibus & metallis, ſulphur, bitumen. Ejus ideam conſpicimus in omni re ardente, in carbonibus ligneis, & foſſibilibus innumerabilibus. Differt raritatis & denſitatis, fixitatis & volatilitatis, combuſtibilitatis & incombuſtibilitatis gradibus, unde corporum tot ſpecificæ differentiæ & formæ. *Tertia terra* dat mixtis formam, penetrantiam, odorem, pondus, ſplendorem, lucem, &c. Eſt quoque duplicis generis, vel pura, & tùm eſt terrea; vel mixta; & tùm eſt ſalina, aut aquea ſpiritus forma; in animalibus eam cernimus in eorum ſalibus volatilibus; in vegetabilibus in illorum aquis deſtillatis, ſpiritibus & aquis ardentibus in fuligine; in mineralibus conſpicimus eam vel fluidam, ut in argento vivo, vel conſiſtentem, ut in arſenico. Quare verò *hæc tria principia, ſal, ſulphur & mercurium,*

*11. Trium terrarum principalium uſus & diſtinctio.*

*rium,*

*rium, terras vocem*, ratio eſt: quòd ultimo ſuo fine reverà *in terram reduci* poſſint, ut de omni alcali, pinguedine & ſale volatili experientia teſtatur, ſi intermixtus aër & aqua ab iſtis abigantur & ſecedant; tunc enim ad vera devenimus principia, nempè *omnia ex terra conſtare, & in terram reduci poſſe.* Notabitis autem, terram *ſextuplicem* eſſe, calcinabilem & vitreſcibilem, inflammabilem & fixam, lucentem & opacam, quarum mixtura diverſa diverſas etiam producit formas, ut in *Duumviratu* Philoſophico & *Scypho* Becheriano fuſiùs expoſui: heic tantùm loci recenſeo, quantum ad ſcopum noſtrum facit, pro intelligendis mixtis & decompoſitionibus.

*12. Trium terrarum ſpecialior expoſitio.*

Ponamus ergò, eſſe triplices terras, *unam* craſſam fixam, *alteram* meliùs ſubactam, *tertiam* prorſus ſubtilem; & has tres terras ſtatuemus pro veris & ſimpliciſſimis principiis mixtorum, præſertim mineralium. *Prima* eſt terra ſeu *ſulphur*, unde componitur *ſal alcali*, nempè ultimi cineres vel calces omnium mixtorum, ſive fuſiles, ſive non fuſiles, ſive vitrescibiles, ſive calcinabiles exiſtant, *puræ, nudæ & genuinæ* videntur in oſſibus calcinatis animalium, in cineribus elixatis vegetabilium, in lapidibus mineralibus, vulgò Quartz/ omnibus his tribus terrarum ſpeciebus vitreſcibilibus, habetque ſe hæc terra ut fundamentum, & matrix ac receptaculum reliquorum corpuſculorum. *Secunda* eſt terra ſeu ſulphur, unde componitur *nitrum*,

*trum*, nempè terra pinguis, calidum innatum, oleoſa, unctuoſa, inflammabilis. Unde ſive ignes cauſtici, liquores corroſivi & acidi, ſub forma ſalina vel aquea, intercedente aquâ; ſive ſulphura, bitumina condenſata, ſub forma terrea; vel rarefacta, ſub forma ignea, flammea, intercedente aëre: hæc terra *pura & nuda* conſpicitur in animalium pinguedine, vegetabilium oleis, mineralium ſulphuribus, ſi aquam & aërem ſepares, atque in carbonem reducas, principium ſcilicet ſubtiliſſimum. *Tertia* eſt terra ſeu ſulphur, unde componitur *ſal commune* & ſal volatile urinoſum, ſive, ut planiùs dicam, & ſulphur arſenicale. Ut videmus in arſenico, & luna cornua, ſale communi tractatâ; vel in mercurificatione metallorum, per ſalia volatilia; reperitur in fuliginibus corporum, in pinguedine corporum; abundat in arſenico ſolido & fluido, (*argento vivo*) in terra ♀, omnique terra, quæ auro colliquefacta illud dealbat. Ex hactenus recenſitis apparet, *quid propriè per ſalem, ſulphur & mercurium, per corpus animam & ſpiritum intelligatur.* Habetis itaque tria principia ſimpliciſſima; nempè tres terras: *macram*, pinguem, tenuem; cineres, carbones, fuliginem; *Sal alcali*, ſal nitri, ſal commune; *calcem*, ſulphur, arſenicum; id eſt, *terram vitreſcibilem*, terram inflammabilem, terram penetrabilem; in metallis, quartʒ/ ſchimmer / glimmer; unde ſequitur per *Mercurium*

*rium*

*rium* intelligi terram arſenicalem ſubtiliſſimam, dealbantem, ſive argentum vivum eſſe arſenicum fluidum, & arſenicum ſolidum eſſe argentum vivum conſiſtens, apparet; per *ſulphur* terram pinguem, ſive inflammabilem, ut lithanthraces ſulphur, ſive inflammabiles, ut talcum, lutum; per *ſalem* terram intelligi, vel vitreſcibilem, ut arena, ſilices; vel calcinabilem, ut oſſa, ſaxa.

13. *Tria principia ſeu tres terræ mineralium explicantur ſpecialiſſimè.*

Atque ita devenimus ad *ſpecialiſſima metallorum principia ſimpliciſſima*, quorum *corpus*, ſal, cineres, Quartz/ Fluß/ Kieſel; *Anima* ſulphur, carbo, Moder/ Beſtieg/ Pech; *Spiritus*, Mercurius, fuligo, arſenicaliſcher / ſulphuriſcher Schwaden und Dampff. Specialiter ergò conſiderandæ veniunt principiorum metallicorum geminæ differentiæ: & quidem

14. *Terra prima ſalina vitreſcibilis.*

Primò *lapidem vitreſcibilem*, fuſilem, vulgò Quartz/ ſemper eſſe matricem bonæ mineræ. Unde Mariæ Prophetiſſæ dictum: *Fumus complectitur fumum, & terra alba in monticulis capit utrumque.* Eſt namque hic lapis matrix, receptaculum & ſigillum ſpirituum metallicorum, qui inibi conjurantur & tinguntur: è contra iſtud lapidum genus, quod non fluit, wildes/ taubes/ rauches Gebürge und Geſtein/ non valet ad generationem metallorum, unde etiam nulla ibi generantur. Non lapides autem modo fuſiles, ſed & arena, limus, omniaque vitreſcibilia matrices metallicorum vaporum ſunt & eſſe poſſunt. Unde metalla in ſaxis, ſilicibus,

arenâ

Digitized by Google

arenâ limo, & luto generari obſervamus. Lapis ergò vitreſcibilis ſal metallorum eſt, & non aliud principium. Notabis autem, quòd mineris in fuſione, Kalckſtein addant, illud genus impropriè ſic vocari; non enim eſt verè lapis calcis, ſed fluit; hinc & metalla intùs concipi, ſæpè obſervatum eſt. Verùm lapides, unde calx præparatur, vulgò wildes taubes Gebürge und Geſtein / fuſioni tàm parùm proficiunt, quàm generationi, niſi ob ſtipticitatem nimirùm facilè fuſibilibus mineris addantur, ad impediendum fluxum.

In *ſecundo metallorum principio* valdè errant, qui illud ſulphur commune inflammabile eſſe exiſtimant; cùm metalla dentur, ubi nullum ſulphur intùs, nec in mineris illotum ſit, imò quibus ſulphur commune adverſatur, ut in mineris auri & argenti: Sed per ſulphur intelligitur aliqua *terra pinguis, ſpecifica ſui generis*, quam ſulphur metallorum vocant, e. g. in ſole, terra ſubtilis flava; in luce, terra alba ſplendens; in Venere rubra; in Marte, Iove & Saturno, fuſca, livida: ſimilesque terras, ante mixtionem, in *forma ſimplici*, jam natura inſperſit in lutum, Cadmiam, Tutiam, limum, lapides, imò ſubinde pura & nuda exhibet, ut in Asbeſto, Talco, Bolo, Hæmatite, rubrica, ſputo & axungia ſolis, lunæ, ſilere, vulgò berggrün, Lazura, Zaffra, Schmalta, &c. His terris pinguibus poſſunt *ſuperdecompoſitiones* metallorum fieri, & ſimiles terræ pingues poſ- 15. *Terra ſecunda pinguis ſulphurea.*

H ſunt

Digitized by Google

ſunt etiam *ex metallis extrahi*, ut à ſole, venere, remanente nihilominùs illorum ſubſtantiâ mercuriali metallicâ, ut poſteà audiemus; Unde *falſum eſt:* colorem metallorum, hancque mediam ſubſtantiam pinguem terream ex ſulphureo vapore minerali generari, & juxta decoctionis gradus variare.

16. *Terra tertia mercurialis & Arſenicalis.*

Tertiò, per principium *Mercurii* multi decipiuntur & confunduntur, quaſi nullum metallum poſſit generari ſine mercurio, cùm multæ mineræ divites dentur, ubi ne veſtigium quidem mercurii reperitur; ut in mineris auri, argenti, cupri, aliorumque, nec plùs mercurius communis ad *metallorum generationem* facit, quàm ſulphur commune, aut ſal commune, utpote corpora mixta mortua, & extra *ſphærā ſuæ activitatis* poſita. Quod autem *in mineris metallificat*, baſinq; & hypoſtaſin metallicum lapidibus præbet, eosque penetrat & ſubigit, veriùs *ſubtilis terra arſenicalis*, in vaporis forma eſt, quàm ſulphur vel mercurius, quanquàm *ex utroque* conſtet, deq; ſulphure & mercurio communicet. Habet enim *omne ſulphur commune aliquid mercuriale, & omnis mercurius aliquid ſulphureum*; Sed deeſt *vinculum utrinsque*, illud nempè, quod mercurium reddat ſulphureũ, & ſulphur mercuriale; ſine qua mixtura vapor mineralis ſterilis eſt, & non metallificat; Caret enim vitâ, penetrantiâ, & vivo igne naturæ, proinde benè tradunt, quòd *mercurius metallificans* non ſit, nec mercurius, nec ſulphur commune, ſed mixtum ex utroque. Unde optimè *Evvaldus Vogelius* *Belga*

*Belga* cap. 3. de materia metallorum & artis ait; *quia igitur hac ars in mineris metallorum non reperit aliquid, quod ſit argentum vivum in natura ſua, nec aliquid, quod ſit ſulphur in natura ſua, niſi rariſſimè, nam omnimodè non reperiri falſum eſt.* (*vide mercurium virgineum & ſulphur vivum*) *ſed aliquid ex iis generatum, & commixtum, & in naturam terream* (*tertiam*) *redactum, quin imò cùm videat, unumquodque illorum generari ſeorſim in propria minera ſua, ideò ars, ſequens naturam, non recipit argentum vivum ſolum, nec ſulphur ſolum, nec etiam argentum vivum & ſulphur conjunctim, ſed eandem materiam commixtam, & ex iisdem principiis compoſitam, quam natura præparavit arti, nempè vaporem duplicatum* ſive Mercurium bifidum. Et talis vapor metallificans, ſive tertium metallorum principium eſt *arſenicum naturæ.* Sicut enim *arſenicum commune* ſoliditate à mercurio communi liquido differt, quæ ſoliditas à ſulphure ſalino ſalis communis univerſalis (hymen dicto ſive Nympha) procedit, & mercurius communis liquiditate ab arſenico differt, quæ à terra pingui ſulphuris (terræ) procedit, additâque vel demtâ Nymphâ, ex arſenico Mercurius currens, & ex mercurio currente arſenicum fieri poteſt; ita *arſenicum naturæ* eſt duplicatus vapor, conſtans ex ſulphure & Mercurio,

 junctâ

junctâ ſubtili terrâ ſulphuris naturæ nymphæ, poteſtque facilè & in Mercurium & arſenicum commune reduci, eſtque jam fuligo mineralis in omnibus metallis. Ex quibus hactenus recenſitis apparet liquidò: *proxima & ſimpliciſſima metallorum principia tres terras eſſe: primam*, lapidem fuſilem vitreſcibilem, vulgò quartz; *ſecundam*, limum ſeu lutum pingue, vulgò Moder/Beſtieg; *tertium*, vaporem ſiccum terreum, ſulphureo-mercurialem, id eſt, propriè arſenicalem, vulgò Schwadem/Berg-Mehl.

17. *Decompoſitiones Mineralium & Metallorum generales.*

Nunc quod ad illorum *decompoſitiones* attinet; vel abundant primo, vel ſecundo, vel tertio principio; *Primo* quidem, ubi lapis vel nimis fuſilis, vel ſtipticus eſt, & tùm, in fuſione, vel durus, vel facilis; *Secundo*, vel terra pinguis nimis, vel macra eſt; & tùm in malleabilitate & friabilitate variant; *Tertio*, cùm arſenicum vel ſulphure, vel mercurio excedit crudo; & tùm mineralia vel volatilia, vel combuſtibilia fiunt. Tùm ipſorum *principiorum proportione* variant, unde magis vel minùs ſunt metalla, hinc præter ordinarium metallorum numerum, *multæ aliæ mixtiones* in Biſmutho, Zinckio, Antimonio, Kobolto, Mondyck, in Arſenico, Realgare, Cinnabrio, Mercurio, ſulphure, in Cadmia, Zaffra, Magneſia, Marcaſita. *Ordinariorum* verò metallorum numerus, in ſex metallis conſiſtit: quorum duo fluunt, antequàm igneſcunt, ut plumbum & ſtannum; duo diu igneſcunt, antequàm fluunt,

fluunt, ut cuprum & ferrum; duo fluunt, quamprimùm igneſcunt, ut aurum & argentum; hæc metalla tùm naturâ tùm arte rurſus vario modo inter ſe *confunduntur*, & naturaliter ac artificialiter commiſcentur: *naturaliter*, ut minera argenti, auri quoq; particeps, cupri, ferri, plumbi, argenti, &c. Et mirum eſt naturâ productum aliquod metallum, quod Anglicè Bellmetal, Italicè Bronzo, Germanicè Glocken-Speiſe vocant. *Artificialiter* habemus ligaturas, orichalcum, cuprum album, &c. Juxta decompoſitionem trium terrarum variæ quoque oriuntur *ſuperdecompoſitiones*; ſic metalla poſſunt per terram arſenicalem converti in *Mercurium* currentem; per ſulphur, in *ſulphur* ardens; per arenam in *vitrum*; denique in ſalem, vitriolum, in aquam, in calcem, in ſpiritum, in tincturam.

Ex principiis quoque mineralibus variæ aliæ *decompoſitiones* oriuntur, utpote cùm *acidum univerſale* mundum ſubterraneum perfluens, & perfumigans, varia arripit, ſolvit, miſcet, novaque decompoſita & ſuperdecompoſita producit, e. g. dum in forma aquea ſolvit terram, vel lapidem calcis, fit *alumen*; dum ſolvit terram, vel lapidem fuſilem, fit *borax*; dum ſolvit bitumen, fit *ſulphur* vivum; dum ſolvit cuprum, vel ferri mineram, producit *vitriolum*: his mixtis præparat *thermas & acidulas*; dum propriam terram ſeu ſulphur dejicit, metalliſq; adhæret, & in aërem ſublimat, producit *ar-*

**18.** *Decompoſitiones & ſuperdecompoſitiones corporum ſubterraneorũ & mineralium ſpeciales.*



Digitized by Google

*ſenicum*; cui, ſi ſulphur commune accedat, fit *auripigmentum*, *ochra & realgar*; ſi nympha dematur, fit *argentum vivum*, cui ſi ſulphur interveniat, fit *cinnabrium*; Et ne credatis, me hæc ſpeculatione & theoriâ tantùm fingere: dico & affirmo, me non modò recenſita *duodecim decompoſita mineralia* per naturam rurſus in prædicta ſua principia, ſed & *arte* mediante, præfato acido eadem producere poſſe, non mineris bonitatis & valoris, quàm ſi ab ipſa natura producta eſſent; quæ praxis, *theoriam meam veram eſſe, evincit.*

*19. Exponuntur actiones & reactiones terrarum in ſalibus & ſpiritibus.*

X. Nunc conſiderandæ ſunt quædam *mixtiones & ſolutiones*, ex doctrina antecendentium principiorum emanantes; quas antequàm exponam, præmittendæ ſunt *actiones & reactiones ſalium* alcali, nitri & ſalis communis. *Nitrum* facilè mutatur in alcali; *ſal commune* in nitrum; *alcali* in ſal commune: *alcali imbibit acida,* ut in vitro, ſmegmate; *Sal commune urinoſa*; *nitrum ſulphurea*: *ſulphurea enim agunt in arſenicalia, hæc agunt in mercurialia, hæc agunt rurſus in ſulphurea*, unde ſalia artificialia: ſal alcali, ſal volatile, ſal armoniacum, ſal mirabile, ſal prunellæ, ſal Philiſteæ, ſublimatum, ſaccharum Saturni, pilla Paracelſi, chryſocolla, ſublimato cinnabrio, &c. *Spiritus* ſive olea communis ſalis, ſulphuris, vitrioli, urinæ, ſunt ferè *eadem*; è contra *variant*, *& ſymbolizant* ſpiritus aceti & nitri; *conveniunt* ſpiritus vini & terebinthini, unde varia quo-

que

que oriuntur *menſtrua.* (Vide meam *Concordantiam menſtruorum*) Deſideratur menſtruum, ſeu ſolvens, quod ſit *alcali volatile*, nempè tres terræ principales, in forma ſubtilis aquei ſpiritus, ſcil. alcali, vini & ſalis.

Eſt etiam obſervatu valdè neceſſarium, quòd nempè dentur *tria magna componentia in ſubterraneis* & mixtis terreis: eſt enim *aliquid*, quod miſcet terram cum mercurio, unde commixta fiunt, quæ *metalla* vocamus; ſecundò eſt *aliquid*, quod miſcet terram cum oleo ſeu pinguedine, unde mixta oriuntur, quæ *ſulphura*, bitumina & lithanthraces vocamus: Tertiò eſt *aliquid*, quod miſcet terram cum aqua, unde mixta oriuntur, quæ *ſalia* vocamus. Quòd ſi quis hæc tria magna componentia noverit uti & applicare, nempè mixtis *addere & demere* ſciverit, is mixta ſalina, ſulphurea & metallica *componere*, varias *ſuperdecompoſitiones* facere, rurſusque hæc mixta *radicaliter diſſolvere, & in principia ſua reducere* poterit. Ita Helmontius recenſet: *Se ſalem nitri rurſus in terram convertiſſe.* Glauberus in tractatu de tribus Principiis, tit. de ſulphure, modum præſcribit, illa in *fixam & incombuſtibilem terram reducendi.* Kunkelius de reductione Lunæ in *argentum vivum* ſcribit, &c.

20. *Tria magna componentia metallorum, ſulphurum, ſalium recenſentur, eorumque cognitionis utilitas & neceſſitas exponitur.*

Verùm hæ notiones & operationes, prout ſunt principales & maximè neceſſariæ, ita tamẽ raro perveniunt ad *homines duræ cervicis*, noſtrique temporis Chymicos; dico tamen, quòd, *qui neſcit rerũ compoſitionem, ignorabit etiam illarũ reſolutionem, & per conſequentiã,*

*earum meliorationem:* neque enim tàm levis momenti eſt illud Sacræ Scripturæ dictum: *Terra es, & in terram reverteris,* multumque ingenii & laboris faceſſit: ex igne, aëre & aqua terram elicere; imò metalla, ſulphura & ſalia in terram principialem reducere; quod,ut dixi,non fit ſine trium prædictorum magnorum componentium cognitione; quorum natura *hermaphroditica & fermentativa eſt, medium nempè duarum extremitatum, & vinculum ambarum.*

*21. Tria generalia mineralium principia, lapis, limus, Arſenicum.*

XI. Si profundè rerum principia introſpicere velimus, apparebit, quòd omnia mineralia vel ex *lapide, limo, vel pinguedine* conſtent; *omnis enim pinguedo* ſive animalis, ſive vegetabilis, ſive mineralis, ſulphurea, arſenicalis, mercurialis eſt, quod clarè patet ex fœtore ellichnii, oleis deſtillatis, fœtidis, dealbantibus & mercurificantibus fuligine, aliiſque oleis rectificatis, & ſuper auro abſtractis. Vide Glauberi Lapidem Animalem. *Omnis limus* gluten habet, prout videmus in fictilibus vaſis, & lateribus coctis. Hoc gluten eſt humidum radicale, ſive unctuoſum humidum, corporibus eſſentialiter inhærens, eaque conjungens & coagulans, in quibusdam planè non exterminabile; ut in auro, vitro, lateribus, talco, asbeſto, ſmiride. Cœterùm vocabulum limus, *latiſſimè* heic loci ſumitur: comprehendit enim ſub ſe *illum limum*, ex quo Adam conditus eſt, *illum limum* unde vegetabilia orta, *illum limum, ſeu parvum pulverem* Esdræ, unde aurum

rum fit, *illum lucidum ſubtiliſſimum limum*, unde aſtra condita; *illos limoſos atomos* flammarum, ferrum lambentes, ſeque inibi figentes, *atomos denique ſubtiliſſimos limoſos ſolis*. Ex quibus patet, *omnia ex limo facta eſſe*. Vide ſupplementum meum primum, *experimentum ferriferum*, & ubi probavi: quòd *omnia arſenicalia, ſulphurea, & mercurialia volatilia limo figantur*. Porrò omnis lapis vel ignem fert, & tunc calcem dat, ſervitque pro corporibus *opacis*; vel vitreſcit. *Dum* inſervit corporibus *diaphanis*, rurſus vel lapis eſt *concretus, & ſaxum* vocatur; vel *diſcretus, & arena* eſt, aut terra ſubtilium atomorum. Quis verò ignorat maximam globi terrei partem ex lapide & limo conſtare, ſcilicet ex arena, calce, vel terra. Ex quibus clarè liquet, tria magna & univerſalia corporum principia ex *lapide, limo & pinguedine* conſtare, quæ rurſus reſolvuntur facilè in tria generalia, nempè *cineres, ſapam & fuliginem*.

*Aſtra ex limo lucido.*

XII. Cœterùm communia hæc tria principia ſub *tribus generalibus compoſitionibus, in ſale alcali, nitri & ſale communi reperiuntur*, ſubtiliſſimè & intimè quaſi unita; Latet enim in *alcali* terra clarificata vitreſcibilis; latet in *nitro* limus ruber ſubtiliſſimus; latet in *ſale* communi terra arſenicalis, mercurialis dealbans, incombuſtibilis. Et quanquàm hæc tria ſubjecta *ubique* quaſi reperiantur, *terra alcali, aër nitro, mare ſale turgeat*, ipſum alcali, nitrum & ſal commune omnibus obvia, nota, & vili pretio com-

22.
*Generaliter demonſtrantur latere in ſale alcali, nitro & ſale communi.*

 para-

parabilia ſint; *pauci tamen ſunt, qui ea in prima principia ſeparare, abſconditam terram denudare, & re eſſentiā à ſiliquis ſecernere, & extrahere ac exuere ſciant.* Novimus tamen: *alcali* metalla vitrificare & purificare; novimus: *nitrū* illa (præſertim argentū) figere & tingere; novimus deniq; : *ſalem* communē metalla arſenificare & mercurificare. *Kircherus* fatetur: plumbū aquis ſalſuginoſis ſtagnatum in hydrargirum reſolvi. Luna cornua nonne adhibet arſenicum Lunæ? *ſpiritus nitri* nonne tingit lunam colore aureo? *liquor nitri fixi*, vel alterius alcali, vel liquor ſiliquarum, nonne agunt in metalla maturando, alterando, transmutando? verùm plus agerent, ſi extra hanc decompoſitionem ſalinam, ſub *nuda principiorum forma* nobis ad manus eſſent; tunc enim cuilibet verum eſſe compareret, quod in Phyſica mea ſubterranea titulo de Principiis ſcripſi, *poſſe nempè ubique, etiam ſupra terram, metalla generari & extrahi*; vide ſupplementum primum. Verùm quod alii de Mercurio currente, ex ſanguine & aqua communi prolicito, *omni re* affirmant, & nuper *Dct. Helbigius, Medicus Electoris Palatini*, in reſponſo ſuper tres quæſtiones aſſerit: poſſe ſe nempè ex aëre ſtannum, plumbum, Mercurium, omniaq; metalla producere, fides penes autores ſit: non negamus poſterius, ſed ut *Dct. Helbig.* ait, *certè magiſtrorū, non tironū opus eſt.*

*23. De Metallorum reductione in ſua tria genera-*

XIII. Verùm ut evidentiſſimè, & quidem à cauſis conſequentibus probemus, tria metallorū principia *lapidem limum & arſenicalem fuliginem* eſſe, demonſtrabimus: metalla primò

mò *in ea reduci* poſſe: (ex omni enim metallo, etiam auro, arſenicum, & ex eo Mercurius fieri poteſt, dum terra quædam, ſeu crocus, aut limus irreducibilis remanet, utpote deſtitutus principio arſenici; tandem metalla perfacilè aliquid de ſe dejiciunt, quod vitrificatur, ſeu lapis aut ſcoria eſt.) Secundò *ſuſcipere ea in ſuam decompoſitionem*. Hinc amalgamatio metallorum cum Mercurio, cum arſenico; cementatio cum ſulphure, & ſale; fuſio cum Cadmia, variiſque extractis; vitrificatio per ſaturnum, per ſilices & alcali. *lia principia, nec non de metallorum ſuſceptione trium principiorũ in ſua decõpoſitione.*

XIV. Sed ſicut in alcali, nitro & ſale communi *remotè* latent metallorum principia, ſed *ſubtiliata & ſymbolizantia*; ita è contra in ipſis metallis ſunt *propinqua & harmoniaca, ſed incraſſata* eadem principia. Quid enim *Saturnus* aliud præſtat, quàm alcali vitrificans, agens potenter in acidum arenæ, ac optimum alcali? quid *Mars* aliud eſt, quàm crocus ſeu limus ſtipticus adſtringens, Saturnumque figens & calefaciens, non ſecùs ac ſpiritus nitri, ſuper Cadmia vel cineribus Saturni abſtractus, eum figit, fulmenque deponit, concipitque ignem tàm facilè à ſulphure, quàm ipſum nitrum? deniq; quid *Mercurius* aliud eſt, quàm *arſenicum fluidum*? & quid hoc aliud, quàm *ſulphur concentratum ſalis communis*? ita ut principia ſymbolizantia ſint *ſalia & metalla*; qui horum combinationem inter ſe invicem & à parte intelligit, *metallurgum* ſe eſſe profiteri poterit. 24. *De principiis mineraliũ remotis & ſymbolizantibus, item de propinquis harmonicis.*

XV. Clarum autem eſt, acidum agere in alcali; unde tres decompoſitiones ſequentur; *ſalium inter ſe, metallorum inter ſe,* 25. *Actiones & Reactiones metallorum inter ſe & cum ſalibus.*

*ſe, utrorumque tandem.* De ſalium decompoſitione dictum eſt ſuprà; metalla & *minera conveniunt ſicca* cum humidis, *ſtiptica* cum fluidis, *volatilia* cum fixis, cũ *homogenea* heterogeneis. Saliũ verò *reactio & mixtio cum metallis* eſt, *alcalium* ſaliũ cum ſulphuribus, *ſulphureorum* ſalium cum mercurialibus, *mercurialium* ſalium cum metallis ſulphureis.

26. *Mineralia nudè & ſupervestita ob oculos ponuntur.*

XVI. Reſtat ut metalla *nuda & ſuperveſtita* intueamur; hinc enim habemus *ſcorias*, vitra, mineras, terras, lavamenta tùm *mineralia*, friabilia, volatilia, *imperfecta*, vel arſenicalia *ſulphurea*, ut antimonium, mercurius, arſenicum, Kobolt, &c. vel *terrea* ſtiptica, ut Cadmia, Zwitter / Blennt / terræ minerales, boli, croci: vel *malleabilia*: ut ſex perfecta metalla; vel *mixta*, ut orichalcum, cuprum album, &c. vel *quodlibet metallum in ſe ipſo ſeparatum*; hinc metalla anonyma, luna fixa, aurum rubrum, Venus dealbata, plumbum Martis, antimonii, Electrum phyſicum.

27. *De ſulphure rubro & albo, flammabili & inflammabili eorumq; differentiis & definitionibus.*

XVII. Ultimò ſpecialiùs conſiderabimus, quid ſit *nitrum*, *ſal*, *ſulphur*, *arſenicum*, *argentum vivum*, *Electrum ſeu antimonium magicum*, *plumbum Martis*, *Magnes & Mercurius Philoſophorum*. Dixi ſæpè: eſſe *duplicia principia ſulphurea*; *maſculi & fœmellæ*, quorum unum *rubrum ardens*, alterum *album non inflammabile eſt*, quæ tamen commiſceri poſſunt; Fundamentum ſulphuris rubri eſt in *nitro*, albi, in *ſale*, juncta ſunt in *ſulphure communi*, ſed prædominatur

ſulphur

ſulphur ardens; dealbantem tamen terram, ſulphur commune in ſe habere, patet ex confuſione ejus cum cupro; Et clarum ac certum eſt: *ex ſulphure communi poſſe elici ſal commune, & ex ſale communi poſſe elici ſulphur commune, ex ſulphure communi argentum vivum, ex ſale communi arſenicum.* Quod qui credere non poteſt, deſiſtat, ego certè concludo: *ſal & ſulphur communia eſſe principia arſenici & mercurii.* Excedit ergò *ſulphur* incombuſtibilitate ſulphuris ſui, & paucitate mercurii ſui; *arſenicum* contra excedit in incombuſtibilitate & quantitate mercurii, & paucitate ſulphuris; ita ut *unum excedat illo, quo alterum deficit, unum in circumferentia habeat, quod alterum in centro poſſidet.* Hinc Lullius appoſitè: *Recordamur: nos dixiſſe in noſtro teſtamento, quòd nullum ſulphur promtiùs congelet* Mercurium, *quàm illud, in cujus centrum qualitates mercuriales per diſſolutionem ſunt introductæ, nec ullus mercurius promtiùs ſuſcipit ſulphur, quàm ille, in cujus centrum qualitates ſulphureæ ſufficienter ſunt introductæ.* Denique ſi maſculum vocaveris *ſulphur mercuriale*, & fœmellam *mercurium ſulphureum*, copulam *arſenicum* non ineptè feceris: ſicut enim ſe habet *oleum petræ* liquiditate ſuâ verſus ſulphur, vel bitumen ſolidum; ita ſe habet *argentum vivum* liquiditate ſuâ verſus arſenicum ſolidum: & ſicut prioris *cauſa ſoliditatis in ſulphure eſt terra* quædam alcaliſata & calcea; (ut in oleo ſulphuris & vitrioli videmus) ita alterius

28. *De Maſculo, fœmellâ & copula minerali naturali & artificiali.*

Digitized by Google

alterius,nempè *ſoliditatis arſenici,cauſa eſt hymen, ſeu nympha, ſcil. ſulphur ſalinum*; ut videmus in luna cornua, & in arſenico, quod hymen *omnem amalgamationem, ſeu coitum cum mercurio vivo impedit*,licèt proximâ ſint affinitate; adeò ut *Claveus* etiam mercurium ſtatuat, *qui non ſit fluidus, modò homogeneus.* Sicut autem ſulphur cómmune facilè ſuſcipit mercurium communem, (licet centraliter remotiſſima ſint) & decompoſitũ, quod *cinnabrium* communiter vocamus: ita decompoſitum quoddam fieri poteſt inter ſulphur & arſenicum, unde *realgar*; & ſi ſulphur fixum, & arſenicum, ſeu mercurius Philoſophorum coeant, mixtura fit, quam *Elixir* nominant. Sic ut videamus: *naturam ſemper præire & præludere arti, facemque ei præferre, dummodò ſequi vellet.*

*29. De tribus magnis agentibus in metalla, igne & aqua, nitro & ſale, ſulphure & mercurio, eorumq; actionis natura & qualitate, terminorumq; nonnullorũ Philoſophicorum origine.*

XIIX. *De Antimonio Magico, de Electro, magnete & mercurio Philoſophico, de plumbo Martis & Antimonii* hæc dicenda veniunt; Primò certum eſt, nihil in metalla potentiùs, licet extra ſphæram ſuam, agere, quàm *ignem & aquam*; ignem quidem rarefactum, nempè flammas, aquam verò, cauſticis & igneis particulis repletam, rarefactã quoq;. Secundò in majori decompoſitione & condenſatione idem agunt *nitrum & ſal commune*, in ſubſtantia ſua, de quibus duobꝰ paribus jam ante hàc actum. Tertiò notum & expertum eſt, *ſulphur & mercurium communem* potenter in metalla agere; prius, cementando,adurendo,calcinando;poſteriorẽ, amalgamando, ſecernendo, præcipitando: aſt

Digitized by Google

aſt neutrum ex his duobus ſubjectis *effectum alicujus notabilis momenti vel emolumenti præſtat*; ratio eſt, quòd *ſulphur commune* plurimum contineat ſulphuris aduſtibilis, minimum mercurii fixi. Unde, licèt magno igne cum corporibus metallicis ignem ſuſtineat, rurſus tamen ab illis ſecernitur combuſtibile, nec quicquã notabiliter metalla alterat; mercurius verò communis, licèt amalgametur cum metallis, ac ſe illis intimè miſcere videatur, plurimum tamen continet mercurii, minimum tamen ſulphuris fixi. Unde quoque, licèt poſſibiles perfectiones & alterationes metallorũ ex hac duplici operatione prodeant, non tamen comparari poſſunt *ad operationem verè Philoſophicam*. Quæris rationem? in promtu eſt, & ad manus: *primum Subjectum caret Mercurio fixo, alterum ſulphure fixo. Ergò caret utrumque altero, nec unum alteri ſubvenire poteſt, etiamſi conjungantur*, nec *ſeparatim prodeſſe poſſunt, realiter aliquid faciendi*, licèt accidentaliter vel ſimul, vel ſejunctim nonnihil agant. Ex *impotenti enim conjugio, vel unius, præſertim utriusque vitio, nihil ſolidi & formalis generari poſſe experientia docet*, & naturale eſt. Unde etiam clarum eſt, & liquet, *nullum metallũ, neq; ex ſolo ſulphure, neque ex ſolo Mercurio* communi, neque *ex utriſque conjunctis generari*; proinde etiam natura mineralis illa non aliter mineralibus adhibet, quàm in viro & fœmina ſanguinem, qui neceſſarius quidem ad producendum ſemen eſt, decoctione tamen in vaſis ſuis propriis indiget.

Na-

Digitized by Google

Naturali ergò ratione mihi inductus videris, quærere *de alio ſubjecto à natura minerali proximè pro metallorum, ipſiusque operis Philoſophici compoſitione, diſpoſito*, quod claret, debere eſſe *ſulphur Mercuriale & Mercurium ſulphureum*, utraq; conjuncta; vel, ſi vis, unum ſubjectum *hermaphroditicum*, ſive *mercurium duplicatum*, uti optimè ſcribit Albertus Magnus: *Omnes concordant in uno, qui eſt bifidus.* Et tale ſemen metallicum *arſenicum mercurius noſter eſt, hinc Electri & Magnetis Philoſophici, Antimonii Magici, plumbi Martis*, iſtique termini prodiere, jam præpoſitis enarratis clariùs explanandi.

*30. De Arſenico, Electro, Magnete, mercurio Philoſophorum, proxima adæquata materia metallorum, Antimonio magico & plũbo martis.*

XIX. Sicut itaque *nec ſulphur, nec mercurius communis pro generatione metallorum inſerviunt, nec vel ſeparatim vel conjunctim à natura in generatione metallorum adhibentur*, ſed compoſita, propria, & ſpecifica ſunt, ita minùs ad opus Philoſophicum valere vel facere poſſunt, verùm tertium requiritur, nempè *natura utriusque*, quæ habeat, quod deficit *utrique.* Et hoc ſubjectum eſt *arſenicum*, non quidem commune noſtrum, craſſiſſimo hymene & nymphâ obſitum, ut in antimonio aliiſque ſubjectis ſimilibus obſervamus, quæ albos ſemper in igne vapores & flores fundunt. Et licèt *Alexander à Suchten & Philaletha*, Chymicos eò inducere volunt, ut per *arſenicum antimonii acuant ſubſtantiam mercurii* communis, fateri tamen coguntur; quantum hymen, nympha, vel nubes illa intermedia amalgamationi & unio-

unioni cum Mercurio noceat. Ubi tamen negandum non eſt, longo ſuperato tali ac moleſto labore, Mercurium communem plùs multo, quàm anteà in metallorum ſolutione agere. Vocant enim hanc *acuitionem Mercurii communis*, *operationem factam per acetum minerale*, *per nitrum & ſalem metallicum.* Sed quicquid id ſit, licèt longo labore artifex acquirat talem acutum Mercurium, neſcit tamen, quicquid id fuerit, quod id fecerit. Dico itaq;, quòd, quando *ſulphur naturæ mineralis*, *ſine ſulphure arſenicali* (hymene) ſive limum, ſive lapidem, ſive ſulphur commune inveniat, illisq; ſe ſociet, *metalla & mineralia* generet; ſin verò imbibat aliquod metallum, reddat illud *mercurium corporeum* non fluidum, (ut quidem rectè ſtatuunt *Claveus & Suchtenius*) ſed in forma fluidi *electri* metallici volatilis, formam metallicam habentis in occluſo, ut cera fluentis & cum mercurio communi amalgamabilis, eumque ſummè acuentis, atque cum omnibus metallis permiſcibilis eaque fulminis inſtar penetrabilis. Quæ *diſtinctio cum arſenico communis* eſt, (illud enim hymen habet, hoc non) *cum mercurio communi differt*, ille liquidus eſt ſine potentia fixationis, hoc ſolidum, ſed ceræ inſtar fluidum, cum potentia fixationis & penetrationis. Denique eſt *virgineus vapor metallicus* coagulatus, puriſſimi argenti inſtar, verus magnes medium inter arſenicum & mercurium, eundem tamen & ſulphur facile arripiens, ex *ipſoque aëre*

31. *Definitio & differentia arſenici philoſophici cũ arſenico & Mercurio cõmuni, item Electri Philoſophici cũ Mercurio corporum.*

I attra-

attrahens. Hoc ſubjectum à veteribus dictum eſt *Electrum*, *Antimonium magicum*, *plumbum martis & antimonii*: eſt autem reverà *coagulatus vapor metallicus*, *citra ſulphureum & ſalinum hymen*, *medium inter liquiditatem & conſiſtentiam*, *arſenicum & mercurium*, *à natura in gradum proximum fixitatis & activitatis diſpoſitum*; ab Angucello *Glauca*, ſeu *decantata nympha* vocatum, quod heic in *Cornubia* abundantiſſimè inveni, ita ut naves inde onerari poſſint; nunquàm ignem expertum, deſtillavi ſine ulla alia additione per retortam, in laboratorio meo portatili, ex balneo ſicco; accepi in collo retortæ ſublimatum purum, & ſplendidum metallicum, argenti inſtar, cujus ſimilem nunquàm vidi, neque in magnetiſmo, neque in penetrantia in metalla; convictus ſum ergò, *metalla ex tali vapore generari, non ſulphureo, non mercuriali, ſed hoc arſenicali*, facilioris fixationis, & præparationis, quàm mercurius corporum. Illud enim ut fluidum reddas, prorſus omne ſulphur fixum ab eo ſeparare debes, magno ingenio & labore, cùm natura tenaciter retineat id, quo ſi illum ſpoliaveris, reſtituere debes, cineres nempè, ſeu ſulphur, aut arſenicum noſtrum; proinde ſi ſive corpus antimonii, vel Saturni, & Jovis, vel Martis & Lunæ, vel Solis eò uſq; devenerit, ut ceræ inſtar fluat, nihilque ampliùs à ſubſtantia mercurii alieni habeat, loquente *Claveo* ſatis eſt: & tùm vocatur *Electrum*, *plumbum*, *arſenicum*

*noſtrum*

*noſtrum*, hoc teſtatur experientia, omneſque Philoſophi mercurialiſtæ. Notabitis, *omnia metalla, cùm mercurificantur ad plenã fluiditatem, abſtrahitur eis ſulphur naturæ, & potentia fixationis, nec tunc aliud habent prærogationis præ mercurio communi, niſi quòd magis cocti, à novo addito ſulphure naturæ facilioris figantur.*

XX. Accuratiùs in mixturam, texturam & geneſin metallicam inquirentes, deprehendimus, & ſupponamus: metalla omnia conſtare ex *limo & arſenico.* Proinde conſiderandum nobis incumbit, quid limus, quid arſenicum ſit? quomodo differant? quomodo miſceantur mixtione, compoſitione & decompoſitione, imò ſuper decompoſitione. Primò itaque quoad *definitionem* dico, *limum* eſſe corpus terreum; *arſenicum* verò corpus mercuriale; *diffuſa utraque* ſubjecta per univerſum orbem, in igne, aëre, aqua, terra, animalibus, vegetabilibus, & metallis. Secundò quoad *differentiam* utriuſque dico; primò limum eſſe quadruplicem: *calceum*, qui ſimul aluminoſus eſt; *lapideum*, qui ſimul glareoſus eſt; *lutoſum*, qui ſimul limoſus eſt; *talcoſum*, qui ſimul asbeſtinus eſt. Nunc ad definitionem arſenici venientes dico; quadruplicis quoq; generis illud eſſe; Primò quidem *vaporem* purè mineralem, mercurialem, ſive nympham, cum ſulphure naturâ fixativo veſtitam, electrum & mercurium Philoſophorum, ceræ inſtar fluentem, prout erui poteſt ex minera mon-

*32. Probatur: limum & arſenicum eſſe proxima metallorum principia, univerſaliter per totum orbem diſſeminata.*

*33. De quadruplici differentia ſpecifica, limi & arſenici.*

 dyck.

dyck, Kobolt & Eiſenmann. *Secundò* vaporem mineralem *argentum vivum*, privatum ſulphure naturæ; & mortua liquiditas metallica ſtat ſubinde currens naturaliter, & tunc virgineus vocatur, arripit ex alieno, quod de proprio perdiderat; unde appetit, & requirit ſulphur commune, & fit ac reperitur, ut cinnabrium arſenicale ſulphur deſiderans, appetit quoque ſalem communem, ſc. arſenicale, unde ſublimatum. (diſtinguite enim ſemper inter ſulphur commune, quod *parùm habet Mercurii*; inter Mercurium, qui habet *parùm ſulphuris veri*; & inter arſenicum commune, quod *multum habet hymenis*, ſulphuris externi, aliquid interni, nonnihil ſulphuris veri.) *Differt ergò mercurius communis, à Philoſophico priori*; quòd ille fluat, prior non; hic nullam fixationis potentiam habeat, prior perfectam; poſterior in præcipitatum pulverem coaguletur, prior, in verum & fixum metallum. Tertiò datur *arſenicum commune*, differens cum priori Philoſophico, & conveniens tamen: Conveniens, quod fluat & ſolvat corpora: Differens, quòd ſulphur ſalinum & hymen habeat; ſi *aquam fortem coagulatam vel Mercurium ſublimatum naturalem voces*, idem erit: Ludit quoque in auripigmento Realgar. *Quartò* datur arſenicum, primo adverſum Philoſophico; nempè *plumbum, ſtannum, VVismuthum & Zinckium*, &c. Sed præcipuè plumbum, quod revera eſt *arſenicum conſiſtens* ſulphure nitroſo, valdè fluidum

dum, omniaq́; metalla exedens, & devorans, quod in capellatione videmus, idem præſtans quod arſenicum. Differunt tamen hæc ſubjecta inter ſe: quòd alia *magis ſulphurea, alia magis arſenicalia, alia magis Mercurialia ſint, ſed rurſus notate, ſulphurea multùm pinguedinis, parùm habere arſenici; arſenicalia multùm nymphæ & Mercurii; Mercurialia multùm Mercurii, parùm ſulphuris arſenicalis & nymphæ, aut ſulphuris fixativi continere.*

XXI. Nunc quomodo limus & arſenicum *miſceantur*, videbimus, atque ex effectis & experimentis doctrinam noſtram probabimus. Scilicet, ad *mixtionem metallicam* ſpectat *limus & arſenicum*: (lapis & Mercurius) Cùm itaq; limus cum pinguedine quadam vel Sulphureitate miſcetur, fit *Marcaſita ſeu pyrites*, primum metallicum rudimentum; verùm quoniam ſufficiente arſenico caret, metallum non exhibet, ſed ex aëre attrahit nympham ſeu ſulphur arſenicale, unde ſalis vitriolati naturam induit, ac vitriolum fit. Hinc *Rupeſciſſa* Vitriolum primum metallorum principium vocat, ſcilicet Marcaſitam, unde vitriolum fit. Porrò ſi plus arſenici accedat, fit ex limo ſpecies mineralis, quæ hic in Anglia in Cornubia abundantiſſimè circa mineras ſtanni & ferri reperitur, quam vulgari linguâ *Mondyck* vocant, conſtans ex arſenico, & limo ſtiptico Martiali: *differt* tamen ab ipſo ferro, quod Mercurius arſenicalis non firmiter mixtus ſit cum limo, ſed facilè ſeparari queat, unde reli-

*34. De mixtione limi & arſenici in ordine ad metallificationem.*

*35. De primo metallico rudimento ſulphureo, Marcaſita & arſenicali Mondyck.*



Digitized by Google

reliquum in crocum violaceum reducitur. Sin verò arſenicum limo firmiter intermixtum ſit, tùm verum metallum oritur, quod vocamus *ferrum*; ut patet *in experimento meo ferrifero* in ſupplemento primo in Phyſicam meam ſubterraneam.

36. *Demonſtratur, ferrum eſſe primum progreſſum omnium metallorum, ejus affinitas cum metallis reliquis recenſetur, item ejus magnetiſmus cum arſenico & ſulphure communi exponitur: recenſetur ordo metallorum juxta ſuum naturalem progreſſum.*

*Ferrum* ergò eſt initium, & fundamentum omnium metallorum, cupri ſcilicet, auri & argenti. (*Nam plumbum & ſtannum ſunt tantùm Mercurii ſulphure arſenicali coagulata. Biſmutum & Antimonium eadem, ſed ſulphure communi ſuperdecompoſita; argentum verò vivum eſt arſenicum fluidum.* Si limus ferri ſit ſubtilior & purior, producitur *cuprum*; ſi ſubtiliſſimus & puriſſimus, producitur *aurum*; ſi limus ſit albus & fixus, ſubtilis & purus, producitur *argentum.* Imò de facto, effectivè, *in omni ferro reperies aurum, argentum & cuprum*: Nec ferrum ſine notabili alteratione his tribus corporibus *commiſcetur & confunditur.* Ferrum quoque, quoniam ſufficiente arſenico caret, ambit illud hinc mirè delectatur *arſenico & ſulphure* communi: (*funditur enim ſulphur citiſſimè; fit plumbum cum arſenico: & hâc ratione utiliter funditur, cum mineris ſulphureis & arſenicalibus: facit enim reactionem cum illis, mortificat & imbibit ea, ac liberat metallum purum*) Reſpuit verò argentum vivum in *amalgamatione*, hinc Geber, quoniam illud ſulphure arſenicali naturæ caret, medio unionis limi cum Mercurio, ſublimato tamen, gaudet; quoniam in eo eſt ſimile quiddam.



Digitized by Google

*In plumbum potenter agit*, cujus humiditatem exſiccat, calefacit, adſtringit, & arſenicum ejus imbibit; plumbum verò arſenico ſuo ſtipticam terram Martis diluit, extenuat, reſolvit. *Nec ſtannum abhorret*, ſed familiaritatem in ejus mineris ferrum reperit, atque plùs, quàm metallurgi quidem optant, in eo reperitur: ut heic Cornubiæ in liquefactione ſtanni videmus, ubi quiddam ſeparatur, quod *hardheads* vocant, & ferrum eſt. Contigit quoque, ut in ferro cuprum & ſtannum reperiatur, mixtumque oriatur, quod *orichalcum, vel Bronzo, vel anglicè Bellmetall* (campanarum metall) vocant; cupro familiarius eſt, quàm optamus: unde Eiſen ſchöſſig Kupffer. De vicinitate ejus cum luna, proverbium illud minerale notum, **Es iſt kein Silber ſo gut / es hat ein eiſern Hut.** *Nec arſenici ferè mineram invenies, quæ non abundet ferro.* Cum *auro* lubentiſſimè liquefit, adeò ut clariſſimè conſtet: *ferrum acceſſum habere ad limum & arſenicum, ambire utrumque, conſtare ex utroque, primumque mixtum metallicum, omniumque metallorum, & metallicarum alterationum initium & fundamentum eſſe.*

*Transmutatio* namque metallorum dupliciter contingit, viâ ſcilicet *univerſali & particulari. Prior* unam, *poſterior* alteram metallorum extremitatem pro principio habet. *Prior* enim, ex fluido Mercuriali arſenico; *poſterior* ex terra ſtiptica Martiali procedit: *Prior* arſenicum metallicum puriſſimum, ſul- 37. *Probatur, ferrum eſſe cauſâ transmutationis & alterationis metallorum, præmittitur differentia*

*inter duas transmutationis vias, longam nẽpè & brevem, univerſalem & particularem.*

phureæ naturæ fixativo præditum, & arte mediante igne digeſtum in realgar fixum fuſile, quod Elixir vel Tincturam vocant, habet: *poſterior* deſiderat terram fixam ſubtiliatam, ſed adſtringentem. *Prior* in projectione, propter homogeneitatem arſenicalem & Mercurialem, in metalla ut cera intrat, illorumq; Mercurium, fermenti inſtar, temperat in perfectum metallum; ita ut ob penetrantiam & ſubtilem fixitatem, una pars, partes mille metalli crudi transmutet. *Poſterior* in ingreſſu cementatione vel fuſione cum argento, propter ſtipticitatem & fixitatem terream, humiditatem Mercurii lunæ exſiccat, adſtringit, figit, perfectoque & conſtante colore auri tingit, *adeò ut nihil, etiam in transmutatione univerſali & particulari metallorum in illa agat, niſi terra & Mercurius, ſeu limus Martialis & arſenicum.* Nunc ſicut prior univerſalis & via longa eſt; poſterior particularis & brevis; prior ditiſſima; poſterior mediocriter dives: ita à Philoſophis *medium* inventum eſt, has duas vias conjungendi, & in compendium redigendi: *Mercurium* nempè Arſenicalem (ſale ſeu aceto naturæ reſolutivo acuatum & animatum) cum *terra Martiali* (ſulphure Philoſophorum, auro Phyſico & horizontali, fermento naturæ) uniendi, opusque perficiendi; uti latiùs patet ex proceſſu *Alexandri à Suchten, & Philaletha.* Sed & hic duæ viæ ſe aperiunt; nempè *duo ſubjecta, binæque operationes.* Aliqui enim procedunt ex

38. *Tertia via, nempè media utriusq; à Philoſophis inventa conſiſtens in terra martiali & mercurio, prioris attenuatione, poſterioris animatione ſeu acuitione.*

ex *antimonio & Marte*; aliqui ex ſubjecto *Glauca.* (Mondyck.) In priori operatione Martem fundunt cum antimonio, ut ſulphur phlogiſton antimonii pinguedine ſuâ, imbibat,& diluat ſtipticitatem terream Martis; quâ fusâ & dilutâ, *totum ferri mixtum* diſcerpitur & dividitur. *Pars enim Martis Mercurialis* in fundo gravitate ſuâ reperitur, & à Mercurialibus partibus antimonii, ſulphure combuſtibili jam liberati, excipiuntur & concreſcunt in mixtum quoddam, quod *regulum antimonii* vocant, conſtans ex Mercurio duplicato, nempè Antimonii & Martis, nec non nympha ſalina arſenicali, omnem reguli amalgamationem, & unionem cum Mercurio communi impediens, ſed arſenicalium florum inſtar ſe ſublimans, in forma terrea. Magno itaque labore & ſtudio *nympham arſenicalem* à regulo ſepararunt, & eum mercurificarunt, ſed ope Mercurii communis, *cujus indefinita & copioſa humiditas igneitatem Mercurii antimonio Martiali, quaſi penitùs extinguit, vel ſaltem ſic debilitat, ut tardiſſimè agat, vel ſaltem ſe ipſum perficiendo, vel additum aurum ſolvendo,* licèt plurimarum etiam ſit rotationum, animationum, ut vocant, aquilarum; quin imò plumbum & Biſmuthum *arſenica tantùm coagulata eſſe*, patet ex experimento; quòd ſi fuſa Mercurio currente communi miſceantur, (ut in Supplemento ſecundo docui) Mercurium adeò reddant arſenicalem, & reſolutivum, ut licèt à mixto deſtilla-

*39. De ſcoriis & regulo Martis, Mercurio, Antimonio & Arſenico in regulo Martis, item terra irreducibili, Martiali in ſcorias.*

*40. De regulo antimonii in ſpecie, ejusq; amalgamatione cum & ſine Mercurio.*

ſtillatus. aliam prorſus, cum Mercurio communi naturam habeat: In amalgamatione enim ſolis & lunæ exedit, quoties quotiescunque etiam deſtillatus & rectificatus ſit. Unde aliam viam aggreſſi ſunt, *Regulum Antimonii Martialem mercurificandi, ſine Mercurio communi*; *nempè terram arſenicalem ſeparandi*, quod omne id facit, quod arſenicum commune metallificat, & lunam cornuam reducit. Sed nunc ad *alteram Reguli Martialis partem* deveniemus, nempè *ſcorias* ſic dictas, quæ reverà nihil aliud ſunt, quàm *terra Martis Mercurio ſeu arſenico ſuo ſpoliata, viciſſim ſulphure aduſtibili commixta*. Nam ſicut regulus nullum ampliùs ſulphur commune habet, ſed arſenico abundat; ita ſcoria arſenico caret, è contra ſulphure communi aduſtibili abundat, reciprocâ reactione: Mars enim dat ſuum arſenicum (Mercurium) antimonio, & hoc viciſſim retribuit ſuum ſulphur φλόγιςον Marti. Ita ut in hac operatione duæ extremitates metallicæ eveniant, *terra nempè & arſenicum*; hoc in regulo, illud in ſcoriis: quod experienia quoque evincit. Nam ſi ſcorias ſolvas, ex regulo Martis in aqua Regia, accipies *ſulphur vivum*, & combuſtibile ſupernatans; quod idem antimonium facit, antequàm tamen reactionem cum Marte paſſum eſt. Regulus enim poſteà in aqua Regis ſolutus, non dat tale ſulphur, nec ſecundâ vice, ob carentiam ſulphuris, cum novo Marte reactionem facit. Unde manifeſtè claret,

41. *De altera mixti parte, nëpè ſcoriis reguli in ſpecie, ubi de ſulphure Philoſophorum, auro Phyſico & Horizontali agitur: demonſtratur, perdidiſſe ſuam metalleïtatem.*

claret, *antimonium ſulphur ſuum combuſtibile Marti communicaſſe, quod ſtipticitate ſuâ, ſulphur commune libenter imbibere,* experientia docet; quando Mars cum Sulphure facillimè funditur. Verùm tunc in iſta operatione partem ſuam metallicam arſenico-Mercurialem ſecernere non poteſt, quoniam homogeneam matricem, in quam ſe recipiat, non habet; ſi tamen, prout ex iſta operatione facilè fieri poteſt, ex Marte taliter ſulphurato vitriolum facias, difficile non erit, *ex vitriolo tali Mercurium* facere, vel juxta *Glauberum,* in libello de tribus Principiis Sectione ſecundâ, vel juxta mea principia. (*Omnis enim vitrioliſatio partes terreas à Mercurialibus ſucceſſivè ſeparat, unde ſedimentũ in vitrioliſatione facilè Mercurium, atque in reductione aliud metallum exhibet; ſicut etiam omne vitriolum per ſe, forti igne reductum, metallum alteratum reddit, ſtipticum & terreum nempè magis, quemadmodum ſedimentum vitrioliſationis Mercuriale magis reductum præbet.* Sed hæc pro notitia & parentheſi occurrente.) Porrò multi ſunt, ſicut *Thraſo, Pantaleo, Gaſmannus,* (*vide Cornicem meam Gaſmanianam deplumatam*) qui regulum antimonii nihil de Marte continere, ſed ſaltem puriorem ſubſtantiam antimonii eſſe, conflagrato ſulphure aſſerunt; ſed hi valdè errant. Sulphur enim combuſtibile in confectione reguli, licèt etiam nitrum addatur, *non comburitur,* quod *ſcoriæ Martiales* teſtantur, tàm in ſolutione in aqua

*42. Probatur, arſenicum Martis in regulo antimonii eſſe, per quatuor experimenta.*

qua Regis, ut ſuprà dictum, quàm in calcinatione: quin imò, ſuâ ſponte, ab aëre incenditur, *ſulphurque continere* & retinuiſſe demonſtrant. *Regulum* verò *ſubſtantiam Mercurialem* (arſenicalem) *Martis* ſecum retinuiſſe, patet ex *quinque* experimentis. *Primò*, quòd in præparando antimonio diaphoretico, ſi regulus communis adhibeatur, albiſſimum reddat pulverem; Regulus verò Martialis croceum. *Secundo*, quòd Regulus Martialis, cum Tartaro in occluſo fuſus, poſteà pulveriſatus, ignem ex aëre concipiat & incendatur, igneo Martiali Mercurio animatus, (unde apparet, quàm ſtupenda vis Mercurii purè antimonialis ignea & ſolutiva eſſe debet) communis verò regulus non. *Tertiò*, ſi regulus Martis mercurificatur, fit Mercurius ſummo colore aurum ſolvens; Regulus communis mercurificatus id non agit. Sed quod *quartum* adhuc experimentum manifeſtiſſimum eſt, ſi ſcorias Martiales reverberares, acquires crocum pulcherrimum, puniceum, prorſus terreum, omniáque metalleitate (Mercurio vel arſenico) exutum, proinde ullo modo in metallum irreducibilem; imò cum novo antimonio mixtus, à ſulphure ejus aduſtibili non ampliùs reactionem patitur. Manifeſtum ſignum eſt, id Mercurio ſuo ſpoliatum eſſe. Quò autem is aliò deveniſſet, niſi in ſubſtantiam arſenicalem reguli. *Quintò*, Regulus Martialis ſtellatus eſt communis, quomodocunque etiam præparetur, ſine ſtella. Ex his,

Digitized by Google

his, & hactenùs recenſitis, clarè patet, *quale mixtum ſcoria & regulus Martialis ſit*; *hic* nempè *arſenico-Mercurialis*, illa *terrea Martialis, omni Mercurio privata*, utrumque *intentioni Philoſophiæ congruum.* Nam ſi ex regulo Martiali fiat Mercurius, & ſeparetur arſenicum; è contra, ſi à ſcoria liberetur ſulphur φλόγιςον, omnisque craſſa terreſtreitas, ac ſubtilietur, ſulphur fit, quod *ſuum aurum,* ſicut Mercurium Antimonio-Martialem *Mercurium Philoſophorum* vocant; quæ ſubjecta utraque conjuncta, materiam tincturæ præbent *brevioris viæ.* Ubi notandum; *Sulphur hoc aureum Martis* (Mars & Sol in ariete) ex variis aliis terris Martialibus, ut hæmatite, rubrica, bolo, ſmiride, &c. præparari poſſe. *Nullibi* tamen majorem ingreſſum & redunionem cum Mercurio habere, quàm quod ex *ipſo ferro* præparatum eſt, utpote mixto, quod jam *Mercuriū ſemel expertum*, illoque jam ſemel ſubactum eſt; hinc *facilioris redunionis.* Eò usque tamen terra, quæ in ferro eſt, à ſuo Mercurio ſeparari & liberari debet, ut *per ſe in nullum corpus metallicum ampliùs reduci queat*; aliàs enim nec reverberari, ſublimari, ſubtiliari, exaltari aut perfici poſſet. Sed prout corpus ſeu mixtum in alia mixta non agere poteſt, niſi per juxtapoſitionem; *Sicut quoque Mercurius antimonio-Martialis, Mercurium communem certâ proportione animare & calefacere, ſolutionique metallica aptum reddere poteſt: ita Sulphur Martiale, aurum*

*43. Concluditur ſubjectum transmutationis latere in terra Martiali & arſenico utroque ſubjecto in Regulo antimonii reperibili.*

*quoque*

*quoque fermentare poteſt*, ut operi Philoſophico idoneum, plusquàm perfectum fiat. Cœterùm magnetiſmus Martis & Mercurii patet, in *eſſentia Martis*, quæ ſi rectè præparata ſit, *Mercurium in momento præcipitat & adſtringit*. Unde *omnia Chymicorum particularia, de croco, de ſulphure, de anima, de eſſentia Martis agunt*; ſed, ut dixi, cavendum, ne ſit corporea metallica, & in metallum reduci poſſit; tùm enim non modò non dextrè operabitur, verùm etiam *non aureo colore, ſed nigro, lunam tinget*. Recordor me *crocum Martis* habuiſſe, qui cum luna cupellationem & quartalitatem, Saturnum nempè, & aquam fortem ſuſtinuerat, & tamen non aurum, ſed verum ac puriſſimum ferrum fuerat, quippe avidiſſimè à magnete tractum. Notabitis quoque, quæ von Suchten *de Secreto* ſcribit, in *primis ſcoriis reguli*, (ſolis Martialibus) deliteſcente; ſecundæ enim ſcoriæ terrâ Martiali carent. Verùm de terræ Martialis extractione, ſubtiliatione & inceratione fuſiùs ſcripſi in *Minera mea Arenaria* pag. Et hactenùs de his, *qui in ſcoriis & regulo antimonii Martiali* laborant. Ubi hoc pro coronide notandum: Regulum purum Martialem, terram Martialem ex ſcoriis extractam, (imò omnem terram ſtipticam) rurſus citra reactionem *imbibere*, recorporificare, & ingreſſum dare in ſolem & lunam. Qui in *hermaphrodito* minerali ſive glauca (Mondyck) laborant, methodum obſervent, ut arſe-

44. *Ratio, cur in omnibus particularibus fixationibus & maturationibus Martis mentio fiat, obſervatio de imbibitione reguli antimonii terrarum ſtipticarum.*

arſenicum Mercuriale virgineum ſeparent, purificent, ſubliment, terram autem Martialem extrahant, ſubtilient, utraque debito pondere conjungant.

Ex præfatis clarè liquet, *omnes ſpecies minerales ſubterraneas, vel* 1. *terras, vel* 2. *arſenicales vapores, vel* 3. *corpora ex his mixta eſſe*; & hæc rurſus vel 1. excedunt in *terreſtreitate*, ut cadmia, tutia, talcum, hæmatites perfumata ſaltem vapore metallico; vel 2. *in arſenicalitate* coagulata; ſaltem ſulphure arſenicali, non terrâ, lapide aut limo: ut plumbum, antimonium, arſenicum, argentum vivum, vel 3. *in mixtione limi* & arſenici, ut in ferro, cupro, argento, auro, &c. 41. *Finalis diviſio omnium ſpecierũ ſubterranearum.*

XXII. Metallorum quoque natura ex illorum *ſolutione* dignoſcitur. Alia enim illorum in aqua *Regia*, alia in aqua *forti*, alia in *utraque* ſolvuntur. Neque exiſtimandum eſt, cauſam ſolutionis in aquis corroſivis, tantummodò ſalium *deſtillationem* & rarefactionem eſſe; ſed ſciendum eſt: eſſe in nitro & ſale communi particulas quasdam terreas *ſymbolizantes cum metallis.* Unde reactione quâdam in illa agunt, mixtumque conſtituunt, ſive liquidam ſolutionem, ſive cryſtallos ſalinos. *In nitro autem particula terrea ſulphurea*; (*pingues*) *in ſale communi, particula terrea ſalina* (arſenicales ſeu ſulphur album) latent. Quod patet, ſi Spiritum nitri abſtrahas ſuper Mercurio, apparebunt 46. *Metallorum natura & differentia ex illorum ſolutione demonſtratur, agitur de natura ſolutionũ earumq; diverſitate & cauſis.*

parti-

Digitized by Google

particulæ ſulphureæ, ſub forma *præcipitati rubri*: &, ſi ſpiritum nitri abſtrahas ſuper raſuris plumbi, fiet *vitrum rubicundiſſimum* fuſile, ceræ inſtar. Cujus cauſa eſt ſulphur nitri, è contra, ſi ſpiritum ſalis ſolutioni lunæ vel Saturni infundas, accipies *lunam cornuam, quæ arſenicum eſt*: & ſi abſtrahas ſpiritum ſalis ſuper antimonium, acquires *rubrum arſenicum antimonii* fuſile, ceræ inſtar. Cujus cauſa eſt ſulphur arſenicale ſalis. *Hinc ſpiritus nitri* (*Aqua fortis*) *omnia metalla ſolvit, quæ ſulphur commune, in fluxu ſeu cementatione attinget & corrodet*; *ſpiritus ſalis* (*Aqua Regis*) *verò omnia metalla ſolvit, quæ ſale communi ſive in cementatione, ſive in fluxu, alterari poſſunt*; *Mercurius* autem, quoniam tàm ſulphur quàm ſalem arripit, ut in cinnabrio & ſublimato videmus, ſolvitur tàm in aqua forti, quàm in aqua Regis; quod quoque de *Venere* & *Marte* intelligendum. Nam & illa ſulphur ac ſalem ſuſcipiunt, & alterantur hiſce, cùm in cementatione, tùm in fuſione: *ſpiritus ergò nitri eſt ſulphur aqueum liquidum*: *& ſpiritus ſalis eſt ſal aqueum liquidum*. Unde hi duo ſpiritus omnia præſtant *in via liquida*, quod ſulphur & ſal commune *præſtant in via ſicca*, atque ex eadem ratione, quâ metalla, appetunt naturaliter *ſulphur, & ſalem, tanquàm ſua principia*, ſeu, ut juxta meam Philoſophiam loquar, *Sulphur album, & rubrum arſenicale*, Mercuriale, quo omnia metalla delectantur.

XXIII. Scire quoque præſtat, num

omnia metalla *à principio mundi* producta ſint; vel, an *ſucceſſivè* generentur; & num *exciſa regenerentur*. Ad *primum* dico; unam partem metallici mixti, nempe terram, limum, lapides, à principio mundi producta eſſe; quanquam non implicet, ſi ſtatuamus; limum & lapides etiamnum generari poſſe; Ut notatur in inſulis Suedicis maris Balthici. *Ad ſecundum dico*, affirmando. Conſtat enim metalla generari *tempore*, cum ante hac ibi non eſſent; Ad *tertium* ſtatuo; illa mineralia regenerari poſſe, quæ *ex ſolis vaporibus metallicis* conſtant, ut plumbum, argentum vivum, antimonium, ſulphur, arſenicum &c. Sed quæ plenam mixtionem, nempè *limum, vel lapidem requirunt*, exciſa regenerari non poſſunt, ob defectum terreæ matricis, in quam vapores arſenicales, & mercuriales, ſe recipere, & corporificare debent. Tandem & hoc notandum eſt; poſſe *artem metalla conſtruere*, & exſtruere, ſicut natura, ſi adhibeat illa principia terrea, & arſenicalia, quibus natura utitur; imò ars, heic loci, naturam in quibusdam *excellere* poteſt; nempe purificando, & attenuando materiam, dando, pro lubitu, proportionem, in principiorum mixtione, coquendo & digerendo igne, Unde non immeritò Empedocles ait: *Naturam igne adjuvare poſſumus.*

47. *Quo tempore metalla generentur & num exciſa regenerentur.*

48. *Ars naturam imitando metalla producere poteſt.*

Naturæ continua operatio eſt, producere *ſulphur rubrum, & album*, pingue nempè & arſenicale, prius in *nitro*; poſterius in *ſale* com-

49. *Rurſus univerſalitas princip[...] rum m[...]*



Digitized by Google

*licorum aſſertur.* communi; Nitri ſedes *aër*; ſalis locus, *mare* eſt. Et nitrum, & ſalem, à *ſole* generari, communis Philoſophorum opinio eſt. Unde patet, principia remota metallorum *latiſſimè & univerſaliſſimè* diffuſa eſſe.

50 *De ſoliditate, liquiditate Condenſatione & rarefactione, fermentatione & uſtione.* XXIV. Quoniam ſæpè in Chymia contingit, quod *igne* uti debeamus, nonnulla addam de *combuſtibilium & flammarum uſtionis & ardoris natura.* Sciendum ergo, quòd, ſicut natura *univerſales duas vias* habet, ad quas finaliter omnia mixta deducit, *ſoliditatem & liquiditatem*; ideò duos etiam magnos & generales motus habet, quibus in mixta agit; *condenſationem* nempe & *rarefactionem*; Priori mixta coagulat, corporificat; poſteriori illa ſubtiliat & alterat. Sunt enim *duæ rarefactionis ſpecies*, quibus natura, ut duobus brachiis utitur: *fermento nempè, & igne*, ſcilicet *fermentatione*, & *uſtione*, ſororibus Germanis, utriſque naturæ ancillis, ſummè neceſſariis.

51 *Fermentationis cum uſtione comparatio in omnibus ſeptem punctis.* *Fermentatio*, eſt particularum ſulphurearum condenſatarum elevatio, rarefactio & extenſio, mediante fermento & aëre. Ubi notandum. 1. nihil in occluſo fermentare. 2. fermentationis finem eſſe areſcentiam, 3. nihil fermentare, quod non ſit dulce. Acida enim, ut mala citrea, ſal commune, nitrum non fermentantur. 4. ſi fermentatio juſto diutiùs continuet, elevari particulas ſalinas, & prædominare ſulphureis, fierique acetum. 5. ante fermentationem non dari ſpiritum ardentem. 6. reactione aceti ſpiri-

ſpiritus, ſuper quodam teſtaceo, condenſari rurſus particulas ſalinas, & prodire ſulphureas; ut in mixto videmus, quod ſaccharum, & ſpiritum ardentem Saturni, impropriè ſic vocant. 7. fermentatione finitâ tria reſultant; nempè fæces, ſubſtantia media ſubacida, & ſpirituoſa ſulphurea inebrians. *Uſtio eſt* particularum ſulphurearum condenſatarum elevatio, rarefactio & extenſio, mediante fermento igneo incendente, & aëre ſe in poros interponente. ubi notandum. 1. nihil in occluſo ardere, & comburi poſſe, ut in carbone occluſo videmus 2. uſtionis finem, procurare acidum, ut in fuligine & oleo ſulphuris videmus 3. nihil ardere, & flammam concipere poſſe, quod non ſit pingue & ſulphureum. Acida enim, ut vitriola ſalia, & arſenicalia, ac Mercurialia, non ardent, nec flammam concipiunt, niſi prædominentur partes ſulphureæ; ut in nitro, ſulphure communi &c. 4. ſi uſtio juſto diutius continuet, elevari particulas ſalinas, & prædominare ſulphureis, quæ in carbonibus erant fierique ſal acidum volatile in fuligine. 5. ante uſtionem non dari fuliginem. 6. Oleum ſulphuris paſſum reactionem, ſuper antimonio, tranſit rurſus in ſulphur vivum. Sic etiam ex urinoſis, & fuliginoſis, oleum, vel ſulphur fulminans, vel ardens, rurſus ſeparari poteſt. 7. uſtione finitâ tria reſultant; cineres; carbones; fuligo; quoniam pinguedo, ſeu oleoſitas, cum ignem ſentit, partim rareſit, tranſitque

in flammas,& fuliginem; partim condenſatur in carbonibus ipſis; partim figitur in cineribus. Unde ſal alcali; quod nihil eſt, niſi ſulphur ſummè concentratum & condenſatum, oppoſitum ſali volatili fuliginis, quod illud ſulphur habeat ſummè volatile & rarefactum, quemadmodum in fermentatione, fæces magis terreſtres ſunt ſpiritu. Ex ante dictis apparet, quod *fermentatio & uſtio, eandem ſervent methodum*, unum habeant finem nempe rarefactionem; qua mixta, alterari & ſubtiliari poſſunt, utraque naturæ & arti ſummè neceſſaria & utilis ſit.

52 *Specialia de uſtione notantur præſertim de combuſtibilitate & incombuſtibilitate, item & diſtinctione inter combuſtibilitatem & volatilitatem.*

Verùm de uſtione hoc ſpecialiter notandum eſt; quòd *combuſtibilitas & incombuſtibilitas* rerum, dependeat ex particulis ſulphureis, & ſalinis. Si enim *ſulphurea* prædominantur, corpus erit *inflammabile*; ſin *acida* ſuperemineant, *reſiſtent igni*. Adjuvat etiam *poroſitas*; impedit compages, & denſitas; ſic ipſum etiam aurum, cuprum, argentum, addito multo ſulphure, vel ſubtiliata in corroſivis, & ſoluta in ſpiritu vini, incendi, & in *flammam coloratam* redigi poſſunt; quæ continet terram ſubtiliſſimam, atomorum inſtar, è contra *ſulphur commune*, omniſque inflammabilis pinguedo, additione limi, vel calcis vivæ, aut particularum Mercurialium eo deduci poteſt, ut *flammam non concipiat*, prout in cinabrio videmus, aliiſque ſulphuris fixationibus. Hoc autem certiſſimum eſt, *quomodocunque combuſtibilia fiant incombuſtibilia, & hæc contra combuſtibilia, naturam tamen*

Digitized by Google

*tamen ſuam primam ſervare*; quod ex eo videbis, ſi in liquefactum *cuprum*, ſulphur vivum fruſtillatim injicias, partim illud quidem deflagrabit; ſed magna ex parte, in Venerem intrabit, illudque livido colore tinget, multasque in horas, igne fortiſſimo perſiſtet, poſtmodum ſi effundatur, & ſolvatur in Aqua forti, omnis Venus ſolvetur, ſulphur verò ingreſſum, ad fundum decidet, æque inflammabile, ut ante; Quod quoque in *ſcoreis antimonii-Martialibus*, & in *ſulphure fixato, per alcali*, videmus. Viciſſim, ſi *Venus* ſolvatur, in ſpiritu ſalis, & abſtrahatur ad conſiſtentiam ſalis; (luna in Aqua forti) vel ſi fundatur *Venus*, *aut luna, cum Mercurio ſublimato*, maſſa cornea fiet, quæ, communis ſulphuris inſtar, ſuper igne *ardebit*, *colore pulcherrimo*; ut, ſi crocus Veneris ſolvatur in ſpiritu vini, & incendatur, *flamma* erit *viridiſſima*. Si capiatur, & condenſetur, rurſus idem metallum erit. Hinc licèt ſulphur φλόγιςον quocunque modo metallis incorporetur, ad combuſtibilitatem tamen ſuam reduci poteſt: & quomodocunq; ſubſtantia mercurialis combuſtibilis reddatur, ad incombuſtibilitatē ſuam tamen redit. Ita quod non ſequatur: *omne combuſtibile eſſe volatile*, & *omne incombuſtibile fixum*; Tunc hoc quoque conſequitur: ignem non eſſe elementum naturale, ſed *productitium*; flammarumque atomos, eſſe *corpuſcula terrea ſubtiliſſimè rarefacta*, rurſus in corpus reducibilia; ut videmus in reactione cum ferro, & augmentatione pon-

 deris

deris, in cupella mixtorumque calcinatione, quod nempè ipſis flammis *pondere* augeantur. Cœterum diſtinguendum eſt inter ignem *actualem*, *& potentialem*, *flammantem & lucentem*. Omnis enim *ignis actualis calet*; *potentialis friget*, flammans abſumit, & conſumit; *lucens nec calet, nec conſumit*. Poteſt enim aliquid dari, *quod luceat, nec tamen caleat, vel conſumat*, ut in phoſphoro, ſeu noctiluca, nuper inventa videmus; utrum verò aliquid detur, quod luceat, & ſimul caleat, & tamen non conſumat, ſolem interrogare, & conſiderare oportet. Hoc quoque ſciendum; *atmoſphæram* ignis longiſſimè *extendi*, cuſpidesque flammarum mirificè *intendi* poſſe, ut in *furno meo*, *& ſpeculo cauſtico Pariſienſi* videre eſt. Celebris quoque quæſtio inter Philoſophos controvertitur; *num atomi ignis, vel ſolis, vitra penetrent, corporibusque ſe immiſceant, illorum molem augendo*. Difficilis eſt hæc quæſtio: diſtinguendum enim exiſtimo, inter *atomos ſolis*, & atomos *ignis*. Solem enim actualiter ardere, & flammare, non credo; licèt corpuſcula flammabilia incendat, idque ob ſummam rarefactionem. *Digbaus in tractatu de Immortalitate animæ* meminit alicujus operationis, qua radios ſolis, in rubicundum pulverem concentravit. Et notabile eſt *experimentum de* igne, quod cupella, cum plumbo, accuratè ponderata, poſt cupellationem, licèt nonnihil plumbi evaporet, gravior fiat; ubi nulla gravitatis cau-

53. *Diſtinctio flammarum & ignium.*

54. *Celebris quoq; quæſtio inter Philoſophos controvertitur, num atomi ignis vel ſolis vitra penetrent corporibusque ſe immiſceant.*

cauſa aſſignari poteſt, niſi atomi ignis , in corpus concentrati, & fixati. Nec parum ad rem facit, quod *digeſtiones Chymicorum varient, juxta materiam ſubſtructi ignis.* e.g. aliter ſe materia habebit, digeſta in balneo, aliter in cineribus , aliter in arena, aliter in aperto igne, aliter in fimo equino, aliter à ſole, aliter à gallina &c. Quæ varietas arguit, tranſire nonnihil de calore ejuſque atomis, & corpuſculis, in ipſam digeſtionem, ſubireque materiam digerendam; Non jam *litigabo*, utrum hæc corpuſcula ignea, vel tantum ignem concomitantia, ſint tanquam effluvia, tam ſubtilis tamen naturæ eſſe; ut vitra penetrent. Evidens eſt & in *magnete* manifeſtiſſimum, cujus corpuſculum vitrum penetrare, & ferrum intus contentũ movere experientia docet: quanquam ſint qui tradunt, *magnetem adamantem non penetrare*; quod ſicut nunquam expertus ſum , ita hujus experimenti cauſa, heic loci, nihil certi definire queo. Sed concludo.

Daretur heic loci occaſio explicandi quæſtionem ; quare magnes tendat ad polum, ferrum ad magnetem, & ſulphur ad ferrum, verùm cum in meo Trino Lumine, (huic operi futuris nundinis ſubſequente) hujus triplicis magnetiſmi mentionem fecerim, meritò heic loci ſuperſedeo; cùm plus intentio mea ſit, de Mineralium principiis, quàm affectibus ſcribere. Uſum mineralium medicinalem vide in meo Duumviratu Philoſophico, & reliqua, quæ ad Mineralia ſpectant, invenies in Laboratorio meo Portatili.

# D. JOHANNIS JOACHIMI BECHERI

# CONCORDANTIA MERCURIORUM LUNÆ.

LUſtratori harum operationum duo potiſſimum conſideranda veniunt. 1. Reductionis ☽næ poſſibilitas in ☿ aut per ☿; aut. 2. ſine ☿, tantum Mercurialis Menſtrui beneficio ſeu aquæ Mercurialis.

Qui utuntur ☿, aut recipiant ☿ communem lotum, ut Claveus, aut acuatum, qui Alexander de Suchten in uſu eſt. Aliis placent Salia, ut ⊖ commune, quod Tachenio ſalivam movet; vel ⦶, more Bodenſteinii. Alii eligunt ♎atum, ut Digbæus; aut ≂tatum, qualem Proceſſum obſervat Dornæſius.

Qui nullo utuntur ☿io, menſtrua ſua Mercurialia amant, eaque duplicis ſunt generis. Unum conſiſtit in ſalibus & aquis reſuſcitativis, in quibus ☽na digeritur, tali nempe ratione una materia agit & operatur in alteram. Recipiunt autem hi vel calcem vel ſolutionem ☽næ, quæ duo Quercetanus aliis præfert: aut ☽nam in ⊖ aut cryſtallos redigunt, ad Mentem Begumi. Alii menſtruum parant mixtum, quod abſque reactione ☽nam penetrat. Illud autem fit vel viâ humidâ, qualem ſequitur Lullius menſtruo ſuo fœtido; vel ſiccâ, ⊖lium ſiccorum beneficio, ad ductum Paracelſi in ſuo circulato.

Duæ itaque viæ generales ſunt ad eliciendum ☿ ex Metallis, nempè cum & ſine ☿, quæ poſtmodum in octo minores peculiareſque vias dividuntur.

Adhæc varia alia ſecreta concurrunt, utpote 1. Præparatio & inceratio terræ figentis, maximum totius Chymiæ Myſterium. 2. Paratio ☿ii ☉lis. 3. Præparatio & Uſus ☿♄. 4. Qua ratione perpetuum ☿☽ augmentum procurandum. 5. Reductio in aquam, ejusque Uſus. 6. Separatio & reſolutio ☽ cotnuæ, ubi prima ſalsa eſſentia revelatur, ſolvensque aut menſtruum mirabile. 7. Metallorum ☿rificatio ſpiritualis. 8. Reductio ☽ in ⊖ dulce ☉lisque in Cinnabarim.

Priuſquam vero progrediamur ad extractionem ☿, neceſſe eſt ut purgationem ☿ communis doceamus, quæ variis modis inſtituitur.

1. Terendo cum pulvere rubro laterino, aut ☿ in cera liquida fundendo.

2. Coquendo ☿ in ✕ & ⊖, item in forti lixivio, item in Spiritu Terebinthinæ.

3. Purificando per corium.

4. Amalgamando cum ♁, ☉, ☽, aut cum ⊕ in ✳ ſoluto & reducto, aut injectione in ♁ fuſum.

5. Sublimando cum limatura ♂, ♄, ♃, Item cum calce viva carbonibusve tritis.

6. Revivificando
- ſolutione factâ in 🜅 per ♄.
- ſublimatione inſtituta per limaturam ♂.
- ⩧ atione prævia per ⊖ & ol. ♀.
- ⩧ ris nativæ vel ♁ii beneficio.
- & illud per Regulum ♂ aut calcem ☽.

Sequuntur tunc ☿ animationes vel roborationes. Item reductiones Corporum in ☿ per ☿, vel per

menſtrua ☿rialia; quorum tot, quot literas continet alphabetum.

Clavei animatus ☿.

